Ne3


CASPARI BARTHOLINI
THOM. F.

EXERCITATIONES MISCELLANEÆ

Varii argumenti inprimis Anatomici.



LUGD. BATAV.
Ex Officina HACKIANA, 1675.





Illustrissimo & Excellentissimo

HEROI

DOMINO PETRO

COMITI IN GRIF-
FENFELD,

DOMINO DE SAMSOE,
BRATTINGSBORG ET
WISBORG,

NOBILISSIMO ORDINIS
ELEPHANTINI EQUITI,


EQUITI AURATO ORDINIS
DANEBROGICI,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
MAGNO REGNI CANCELLARIO,
CONSILIARIO INTIMO,
PRÆSIDI IN COLLEGIO
STATUS & CANCELLARIÆ, &c.
PRÆFECTURÆ TONSBERGENSIS
GUBERNATORI REGIO, &c.
ACADEMIÆ HAFNIENSIS
CONSERVATORI,
MÆCENATI & PATRONO
SUO
BENIGNISSIMO

S. F. Q. P.

CASP. BARTHOLINUS TH. F.

Acci-



Ccipe, Illuſtriſſime Mæcenas, ſereno vultu primitias has Juveniles, quæ in Ara favoris Tui repoſitæ, tanti Nominis patrocinio ſuperbire geſtiunt. Tenebris illæ verius dignæ quam luci videbuntur, niſi radiis illis Tuis illuſtrentur, quibus omnes omnium ſcientiarum partes immenſa ingenii & eruditionis vi percurris, & ſingulis, ceu Phœbus alter, lumen clariſſimè mutuaris.

Iiſdem ſplendoris Tui radiis Septentrioni univerſo, arctioribus gelu compagibus jam rigenti, florentem annum & perpetuum calorem, inter frigidiſſimas nives, velut Pæan, reddis & conſervas. Nec minoribus favoris ſummi auſpiciis nobis affulges, qui Muſas noſtras tam benigne habes, ut quamvis ſub alieno ſole Brumæ frigore rigentes, per Te tamen incaleſcant, cum

mitem gratiæ tuæ auram adſpiras. Rumpunt illæ ignobilis taciturnitatis clauſtra, ingentia Patroni ſui merita, immortales virtutes orbi decantaturæ, haud neſciæ, majus ſidus hactenus non illuxiſſe. Te intuentur Deum, ſed mortalem, Te hominem venerantur, ſed cui ſcientia divinitatem, virtus tribuit immortalitatem. Tu in ſummo, ſed infra meritum tamen, honorum faſtigio,

ſtigio, immenſa, ſed ſupra fidem, merita cumulas, quibus etiam Deos demereris. Verbo dicam quia calamus deficit: Cum adſit Prudentia, nullum Numen à Te abeſt. Igitur tanto vindice lætæ Muſæ innocentes, non timent iratum Herculem, cui invicta manu ſe opponent. Tanto Patrono tuti, qui ſacramentum Apollini diximus, non monſtra, nec Marſyam, ſi ſit redivivus,

vivus, metuimus, quibuſcum exoptato felicitatis eventu congrediemur. Te enim Tutore ſuum Muſis conſtabit decus, virtuti gloria. Te ſoſpitatore Patria Academia florebit, vigebit Lycęum Te Præſide. Sub umbra Tua, ſed quæ omni luce illuſtrior, caput exſeret Theatrum Anatomicum, cui me immerentem ex Regiâ clementiâ favor Tuus deſtinavit, nec fœdum ſqualorem nec tri-

ſte ſenium amplius minabitur, ſed in ſalutem Tuam, quæ communis noſtra, & patriæ, prudentiſſimis Tuis conſiliis fultæ, honorem jam conſpirabit. In Mæcenatis incolumitatem ipſa Anatome omnes vires conferet, ipſe homo ſe totum eviſcerabit, tot latices, tot recéſſus reſerans, tot mirifici textus fibrillas, tot funiculos retexens, quot ad Tuæ valetudinis perpetuitatem

rimabitur Hygeia & experietur. Quocirca cum inter eos, qui doctiorum papyrum exercent, neque hic Naturæ campus Tuæ virtuti & multiſcio animo inviſus ſit, demitte quæſo ex infinitis illis tuis unicum radium, & protinus ingentem lucem fœnerabimur ad artis ſuſceptæ perfectionem. Nec id miraberis, ſi preſſius rem, ut ſoles, æſtimaveris. Fallunt ſubinde rerum ſpecies vilio-

ri

ri imagine ſeptæ, quâ detractâ, jam grandis illa Naturæ majeſtas nativo colore eluceſcet. Tu igitur, Literatorum dulce decus & præſidium, me Naturæ interpretem penè elinguem, ſed in Mæcenatis, qui Naturæ Genius, laudem diſertiſſimum, reſpice ea Heroici animi facilitate, qua devotiſſimos ſoles. Et ſanè videtur innata Tibi humanitas, quam inter tot honorum blandimenta,

dimenta, illibatam conſervas, mihi veniæ præfationem impetrare, quanquam majori audacia quam verecundia peccem. Devoti clientis animum in his, quæ ſubmiſſe offeruntur, excipe, donec majora ſuppetant, meiſque ſtudiis benignè favere perge, ut ad maturitatem tandem Te auſpice perducantur. Vive porro Orbis miraculum, exterorum ſtupor, Patriæ ſalus, omnium

nium amor, & animam illam tot dotibus illustrem, cœlo debitam, serò redde cœlo, futuræ posteritati superstes.

Lugduni Batavorum Cal. Februar.
Anno Renatæ salutis
MDC LXXV.

CAS-

CASPAR. BARTHOLINUS
THOM. F.

LECTORI SUO
S.

A Diis non minorum gentium origo nobilissimæ Medendi scientiæ repetenda, quæ incolumitatem etiam suam magnis Sospitatoribus acceptam refert. Postquam enim obscuris exilibusque, ut omnia, initiis, diu muta atque ignobilis in Apollinis sacrario delituerat; tandem nova quadam à Philosophia sequestratione in certas Præceptiones formata, conditore Coö *sene, auspicatò in publicum prodiit: necdum tamen ita Rationibus Usuque firmata, quin infelici Novatorum quorundam secessione corruisset, nisi labascenti*

bascenti Galenus *oppidò extremum robur afflasset. Sed nec ea ab ipsius obitu diu illibata fuit. Methodus, nempe, universa, Artis anima, cum restitutore suo Græcis fermè perierat. Verum Populi Romani coloniis reverenter benigneque habita, cum Imperii magnitudine feliciter adolevit. Inclinatis demum rebus Romanorum, vi Saracenorum Græcis ac Romanis erepta, adque Arabes & Mauritanos traducta postliminio Græcorum obstetricatione in Latium rediit. Sed gentis ac seculi vitio mendis innumeris adeo fœdata ac informis, ut vix à suis agnosceretur. Fuere tamen qui læta hospitalitate amissum ei decus reparare conati. Ita priorem curam reposcebant Græci, ut Antisignani:*

quibus

quibus salvis, Latini, horum velut Emissarii, paulatim vigorem reciperent, &, quæ jam ferè quasi decoxerat, senectus artis, veluti reddità juventute, revirésceret. Hinc Celsum *aliosque longa serie secuti posteri, quibus tam fertilis laborum & laudis materia data. Et jam illud attigit culmen Artis dignitas atque magnitudo, ut uno itinere ad tot Naturæ sacra, ejusque intima penetralia perveniri non possit. Tacebo Anatomicorum dexteritatem, qui his seculis eò ascendêre, ut vix ulterius perveniri possit. Philosophorum subtilitatem præteream, Botanicorum sedulitatem, Practicorum observationes, Chemicorum secreta. Tot & tanta sunt in artibus his communi*

vinculo ſociatis, ut omnia non ſint unius vel ætatis vel hominis. Præterea ingenii humani ſive curioſitas ſive facunditas diverſa adhuc animi exigit ſtudia. Ego, præter Apollinis ſacra & intimioris Naturæ penetralia, amœniores Muſas ſecutus, ad Antiquitatem ita anhelo, ut extra eam etiam aliquid ſapiam. Quare ſi in utroque ſtudio me gloria publicandi non tam ingenii, quam diligentiæ, protraxerit in medium, nolo temeritatem vel audaciam in ætate mihi objici, qui cupio non ætatis, ſed virtutis & diligentiæ modulo metiri. Paterno exemplo didici vel maturè ſenex fieri, vel Juvenis ea ſectari, ut omnia bona in ſpe habeam. Omni ætati Natura patet,

quæ

quæ non cunctarum rerum prudentiam canis dedit. Videor tamen mihi veniam mereri, siquidem in omni genere scientiæ ut summis admiratio veneratioque, ita inferioribus merita laus contingit. Quocirca si hæc diligentiæ γνωρίσματα minus ad Eruditorum censuram & Doctiorum palatum; cogitent spero, iis, quæ Juveni subcisivis, inter seria & morosa humanæ miseriæ spectacula, cogitationibus, exciderunt, humanè indulgendum, quod rerum diversitas impetrat: quam peritiorum nemo intentionis aciem obrumpere negabit. Quid multa? Bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est, & summum culmen affectantes satis honeste vel in secundo fastigio conspiciemur. Ave,

mi Lector, & fave conatui, ut tibi Musæ.

Pater-

Paternarum Virtutum ex aſſe hæredi Filio

CASPARO BARTHOLINO

THOM. FIL. CASP. NEP.

Cognato mellitiſſimo

EXERCITATIONES MISCELLANEAS

Edenti.

UNcta cruore alias exercent ſpicula gentes,
Et bibula alternas haurit arena neces.
Te ſimul exercet, poſita ſed Gorgone, Pallas,
Et jubet arma togæ cedere, tela libris.
Inſtructæ ſunt CHARTÆ acies, tibi penna verutum,
Caſtrorum præſtat Bibliotheca vicem.

Ebria Chalcantho quernæque nigredine gallæ
Lympha, Tibi pyrii pulveris inſtar adeſt.
Ingenium exerces, ſeu pubeſcentia luſtras
Germina, naturæ parturientis opes;
Seu febrim, miſeras quæ torret anhela medullas,
Et data Circæâ toxica fraude, domas;
Seu Tibi ſanguineo ſudantes rore lacunæ
Et conferta novo lacte fluenta patent;
Sive medullares cryptas, oculatior Argo,
Seu lymphæ monſtras limpidioris aquas,
Qualiter humanis circumfluus artubus humor
Circinet æterno corpora noſtra gyro.
Me ſimul exerces, citharæ dum tangere nervos
Cogis

Cogis & Aoniam ſollicitare chelyn.
Tergeminâ major creſcas Majoribus ipſis
Laude, Tibi magnum gloria ſtravit iter.
Nulla leonino de ſanguine cerva, nec unquam
Chaonis ex Aquilæ ſede columba datur.
Cernis Avi, cernis veſtigia magna Parentis,
Sit calcar ſtudiis ille, vel ille tuis.

OLIGERUS JACOBÆUS.

ELEN-

ELENCHUS EXERCITATIONUM.

CASP.



CASPARI BARTHOLINI
THOM. F.

EXERCITATIONES MISCELLANEÆ.

EXERCITATIO I.
DE

VARIOLIS PUERORUM.

Et an sanguine materno fœtus nutriatur?

PUerum me fuisse adhuc memini, nec morborum illi ætati infestorum memoria excidit, quanquam nuces linquere pridem didicerim. Placet igitur in præterita tempora revocatâ cogitatione, de morbis puerorum pauca ex Medicorum placitis, & Antiquitate ultima repetere, neutiquam eo animi proposito, quasi in cunis vagire semper sit volupe, cui ætas aliam vitam imperat, sed ut grata præteritæ ætatis recordatione ostendam, solis

 in

moniorum ſtudeat. Quanquam neque à mente abludat *Boxhornii* Not. ad Quæſt. Rom. conjectura, quod bonus hic ſignificet hominem altæ cujuſdam & ignavæ ſimplicitatis, ſicut *Horatius* l. II. Satyr.

O bone, nec te fruſtrere,

& *Perſius* Sat. VI.

O bone, num ignoras, miſſa eſt à Cæ-
ſare laurus.

per contemptum dixit, hoc eſt, ô ineptum, ô funginum caput. Forſan nolebant, belli ſtudiis addicti, liberos ſuos bonos naſci, hoc eſt, mites belloque ineptos, quo ſenſu apud *Statium*:

— has bonus accipe voces.

Unde feroces canes & iracundi commodè Genitæ Manæ à Romanis, ut Hecatæ à Græcis, immolabantur, teſte eodem *Plutarcho*, & *Plinio* Nat. Hiſt. l. XXIX. c. 4. Ferociam enim in corpore ſano optabant, ut belli gloria inclareſcerent, parentibuſque fortiſſimis tam eſſent ſimiles, ſicut ficus ficui, ut *Theophraſtus* loquitur in Charact.

Ethic. cap. περὶ ἀρεσκείας. Id enim maximo ſibi honori duxit Stratophanes apud *Plautum* Truculent. Act. II. Sc. 6.

As. *Peperit puerum nimium lepidum.* St. *Ecquid mihi ſimili'ſt?* As. *rogas?*
Quin ubi natu'ſt, jam machæram & clypeum poſcebat ſibi.
St. *Meus eſt ſcio jam de argumentis, nimium quidem ſimili'ſt. papæ.*
Jam magnu'ſt? jamne lectat legiones, quas ſpoliare velit.

Quippe optabant ut ſimiles naſcerentur ſemper liberi: Unde *Apuleius* in Apol. *Equidem ſcio & filiorum cariores qui ſimiles videntur.* Et Dido hoc unicum ſuſpirat apud *Virgilium* Æneid. IV.

— *ſi quis mihi parvulus aula*
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.

Eleganter Romanorum hoc votum expreſſit *Catullus* Carm. 62.

Sit ſuo ſimilis Patri
Manlio, & facile inſciis
Noſcitetur ab omnibus

Et

Et pudicitiam suæ
Matris indicet ore.

Nam Parentibus dissimiles illegittimi habebantur, ut apud *Phocylidem:*

Οὐ γὰρ τίκτει παῖδας ὁμοίους μοίχια λέκτρα.

Non similes natos lectus ducit adulter.

Et hanc castitatis laudem puerperis confert *Horatius* l. IV. od. 5.

Laudantur simili prole puerperæ.

Deinde vota nuncupabantur pro salute infantium vel integra valetudine gaudentium, ut in annos perennaret, vel cum adversa confli&tantium, ut cum sanitate in gratiam redirent. Utriusque voti solennis pauca documenta signabo. De sanis *Terentius* Andr. Act. III. sc. 2.

Per castor scitu' puer natu' est Pamphilo,
Deos quæso ut sit superstes.

Et *Ovidius* l. IX. Metam.

Tum demum magno petet hos Acheloia supplex
Ab Jove Callirhoë natis infantibus annos.

Inprimis Junoni sobolem commendabant, sicut variæ Inscriptiones testantur apud *Gruterum* aliosque, inter quas clarissima est illa in ara Capitolii, quam nobis dedit *Gruterus* Inscript. Antiq. pag. xxv.

IUNONI
REGINÆ
CONSERVATRICI
LIBERORUM DO
MVS AVGVSTI
D. D.

Nec contenta Junone Paganorum credula turba & molestè sedula, Junones invocabat, sicut in Inscriptione veteri Brixiæ:

IVNONIBVS
CARTINIA. PLÆCLVSSA
PRO. FILIO
CARTILIÆ. PROBÆ. MVNATII
UXOR. ET. CARTILIÆ.

Verè ista superstitio fuit, in quam invehitur B. *Augustinus* l. iv. de Civ. Dei c. 30. *Non Philosophi solum*, inquit, *verum etiam majores nostri superstitionem à religione separaverunt.*

Nam

Nam qui totas dies precabantur & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati. Taceo varias Paganorum superstitiones alias, quibus infantes DIS suis consecrarunt, alibi pertractandas, ut saluti illorum consulerent, & ritus in puerperiis Veterum adhibitos, qui ampli voluminis materiam præbent; de Minerva sola sollicitum adeo fuisse Caligulam! *Suetonius* c. 25. narrat, ut infantem Juliam Drusillam appellatam, per omnium DEarum templa circumlatam, Minervæ gremio imposuerit, alendamque & instituendam commendarit. Sive doctrinarum spe, sive hastarum amore; utriusque enim artis Dea credebatur, Jovis cerebro nata, sed immaturo partu. Majori pietate DEo creatori nostro natorum incolumitatem commendamus Christiani, exemplo B. Virginis, quæ infantem Jesum obtulit Domino in Templo Hierosolymitano, *Luc.* 2, 22. Majorem infantibus olim curam

adhibitam legimus, quandocunque tenellulum corpus à sanitate deflectens infirmitatibus morbisque infestabatur. Utramque apud Paganos paginam Deæ implent, falsæ illæ & impotentes. Nec medicamentis ultimus locus datus, quibus morbonia rectius infringitur. De Junone & quidem Lucina, ægrorum infantum restitutrice, inscriptionem raram ex Collectaneis veterum Inscriptionum Cl. Viri *Jo. Bapt. Doni* nondum editis exhibet *Tomasin.* l. de Donar. c. xiv.

IVNONI. LVCINAI
PRO. FILIA. PARVA. LABORANTE
SVSCEPTO. VOTO
STATILIA. D. D.

Cum vero febri maxime urerentur, etiam illi, pro Dea reputatæ, pro febricitantibus infantibus, vota concepta, illique ara exstructa. Indicio Zamosii apud Transylvanos in saxo est:

FEBRI. DIVÆ. FEBRI
SANCTÆ. FEBRI. MAGNÆ
CAMILLA. AMATA. PRO
FILIO. MALE. AFFECTO. P.

Præ-

Præterea Castori etiam & Polluci tanquam DIs Magnis, votum esse factum, Liberis sanitati restitutis, nos monet saxum apud *Gruterum* pagina XCVIII.

CASTORI. ET. POLLVCI. DIIS MAGNIS. SVLPITIA. Q. SVLPITII F. VOTVM. OB. FILIVM. SALVTI RESTITVTVM.

Præter vota in subsidium laborantibus infantibus advocata quoque medicamenta, purgationes, incantationes, gestationes. Apud *Diodorum Siculum* lib. III. dicitur Cybeles docuisse pecorum & infantium morbos purgationibus abigere, & ob singularem diligentiam & benevolæ mentis affectionem erga pueros, quos per incantationes sanitati reddidit, & crebro in ulnis fovit, Montana Mater appellata. Purgationes necdum abominantur Medici, sed mitiores admittunt ex manna, cassia, lacte, prunis, melle, oleo amygdalarum dulcium, vel per enemata alvum laxant, si quando

illa vel officio suo non fungitur, vel peccantes humores blande provocandi sunt sine corpusculi insigni motu. At venam secare non audent sub Sole nostro, quod Galli non aversantur. Ἐπῳδὰς verò, seu incantationes, olim usitatas, Cybeli relinquimus, quanquam carminibus omnem vim denegandam non putemus, præsertim quæ à nutricibus næniæ lallique canuntur ad somnum inducendum, qui magni medicamenti vicem apud infantes præstat. *Athenæus* l. XIV. καταβαυκαλήσεις nominat, & interpretatur τὰς τῶν τιθηνουσῶν ᾠδὰς, h. e. nutricum cantiones. *Hesychio*, βαυκαλᾶν, κατακοιμίζειν, τιθηνεῖν, παιδία μετ᾽ ᾠδῆς κοιμίζειν. De quibus videndus Magnus *Casaubonus* Not. in Theophr. Character. & in Athenæum. *Læl. Bisciola* quoque in subcesivis Horis, aliique. Nutricis lemmata lallique somniferi modi vocantur ab *Ausonio* Ep. 16. ad Probum. Suavitatem horum ad demulcendos infantes expressit *Theocri-*

tus

tus Eydyll.XXIV. ubi mater cunas movens ita gemellos ſuos καταβαυκαλᾷ.

Εὕδετ' ἐμὰ βρέφεα γλυκερὸν καὶ ἐγέρσιμον ὕπνον,
Εὕδετ' ἐμὰ ψυχὰ, δύ' ἀδελφεώ, εὔσοα τέκνα.
Ὄλβιοι εὐνάζοισθε, καὶ ὄλβιοι ἀῶ ἵκοισθε.

Id eſt,

Dormite pueri mei dulcem & excitabilem ſomnum,
Dormite animi mei, fratres duo, incolumes liberi:
Felices dormiatis & felices auroram conſequamini.

His lallis Lallus Deus præerat, de quo *Turnebus* lib. XVIII. Adv. c. 34. ſcilicet ne ex his carminibus exularent DI, naſutuli illi, qui omnibus intereſſe volebant. Eleganter *Tertullianus* in Valentin. c. 3: *Nonne aliquid tale dabitur te in infantia inter ſomni difficultates audiſſe lamiæ turres, & pectines Solis.* Μέλος dicitur *Nonno* l. I. Dionyſ. ubi eleganter deſcribit pueri recenter nati in nutricis ulnis ſitum,&

canti-

cantilenam, quâ ad somnum invitatur. Ex fonte Medico idem illustrat *Ægineta* de Re Med. lib. 1. cap. 2: *Abstineat etiam nutrix à venere, & laboret per manus & humeros, & molam verset & texat. Et puerum ulnis gestans circumferat, qui tamen jam sit trimestris aut quadrimestris.* De gestationis exercitio pro curanda valetudine veteribus usitato consulendus *Mercurialis* l. III. Art. Gymn. c. 12. & l. VI. c. 11. quod infantibus pariter & adultis percommodum. Nolo per hoc argumentum latius evagari, propero enim ad morbos puerulorum, qui recensentur ab *Hippocrate* 3. *Aph.* 24. exclusa podagra ante Veneris usum 6. *Aph.* 30. Cujus tamen ego non ita pridem in Nosocomio Lugdunensi exemplum memorabile vidi in puero arthritico, quamvis non amplius quam sex annorum esset. De quibus nihil in præsenti dicturi sumus, neque de calculo, quo nuper natos paterna hæreditate fuisse tortos ex recentioribus obser-

observationibus didicimus. *Variolæ* tantum ad examen vocandæ, plerisque pueris vel adultioribus necessariò infestæ, notæque humano generi jam inde ab Heroicis temporibus. De quarum causa litigatur, & adhuc sub judice lis est, an sanguini materno originem debeat tam fœdus morbus elegantissimam puerulorum faciem deturpans & ulcerosam reddens, ut non facile agnoscas eandem esse. Quod si omnes in sanguine materno consentirent, ego sanè, omnibus inferior, sed pietate in Matrem nulli cedens, ab intentato crimine Matres absolverem, motus rationibus neutiquam trivialibus. Primo, materni sanguinis pravitatem nullo indicio satis firmo demonstrabunt, si sana Mater, si nullum vitium sanguis contrahat aliunde. Nec malignitatem hujus magis quam gonorrhœæ Virilis per se arguit Lex Divina *Levitic.* xv, 19. 25. & XVIII, 19. qua prohibetur ne vir cum muliere menstruata tanquam

quam immunda congrediatur: Est enim Lex Ceremonialis Judæis solis lata nihil minus respiciens quam maligni sanguinis infectionem; sed ne impuretur tabernaculum Jehovæ *Levit.* xv, 31. forsan etiam ut Venerei illi nepotuli coërcerentur, & ad honestam munditiem incitarentur. Forsan etiam naturalis ratio subest, ad præcavenda alia mala ex ista consuetudine oriri solita, de quibus Medici loquuntur. Ceremonialem legem satis probant ritus varii, quibus expurgatæ abluebantur apud Judæos mulieres finito menstrui fluxus termino, recensiti *Levitic.* xv. & à *Lighfootio* Hor. Hebr. ad *Matth.* c. 3. pag. 46. ex Talmudicis aucti. Et quanquam sanguinis potum non valde conducere existimem; tamen tam perniciosum virus non est menstruus, sicut credunt nonnulli ut cœlum & terram inficere possit; dudum enim totus mundus infectus fuisset. Mitius de sanguine judicandum, quem Matres no-

stræ,

ſtræ, in ſanitatis ſtatu, conficiunt ex optimo chylo optimorum alimentorum, quibus geſtationis tempore veſcuntur, integro corde, vaſiſque ſanis, receptaculo, ductu thoracico, cæteriſque ad hanc œconomiam ſpectantibus organis. Nuper *Benjam. à Broeckhuyſen* in Oeconomia corporis animalis variolas à ſanguine Materno vindicavit, quippe qui Art. 68. ſubtilitate Carteſianâ ingenioſe fingit, cauſam eſſe in chylo, ex quo omnia viſcera concreta vult. Nimirum illum chylum non in omnibus ſibi conſtare partibus, quia variam materiam primi elementi ſibi admittit comitem, quam, prout varia eſt, etiam ipſius miſturam variare. Inde concipit muſculos cæteraſque partes noſtri œconomi talem materiam facile accipere peculiarem, quæ in tubulis partium abſcondita longum tempus ibi permanere poſſit; Atque ita in poros iſtiuſmodi materiæ latitantis & in partibus abditæ, inſinuare & involvere

vere sese materiam subtilem, & ipsam ex tubulis una secum ad sanguinem vehere. Ego hujus subtilitatis litem non faciam meam, cui suffecerit demonstrasse nullo jure maternum sanguinem culpari, quia ipse vel non vitiosus, de quo modò actum, vel si hujus malignitatis convinceretur, non tamen fore, unde sibi timeret fœtus tenellus. Deinde igitur, quanquam de impuritate suspectus esset maternus sanguis, nullum inde detrimentum ad fœtum derivaretur, quia vel eo in utero non nutritur, vel si quid ex illo in sui alimentum pertrahit, depuratur & emendatur. Fœtus in utero vel prorsus nullo sanguine materno, vel particula tantum ejus nutritur. Primis mensibus per umbilicalia vasa sanguinem maternum trahi *Hippocratis* est doctrina, sed deinde increscente illo & utero distento sugi per os alimentum, cum sanguis non sufficiat, quam posteriores nonnulli defendunt, interque eos *Harvejus* incompara-

parabilis, qui ore ſugere colliquamentum, in quo in Amnio natat, probavit, noſque tuemur, qui chylo per os ſucto, ſive is ex uteri glanduloſo corpore deſtillet, ſive per ignotos ductus lactiferos effluat, ſive denique ex ſanguine exſudet, grandiorem nutriri fœtum probabili ratione ſuſpicamur, quanquam omni tempore eodem ſucco nutritio increſcere alii velint. *Courveus* enim l. de Nutrit. Fœt. prorſus excludens umbilicalia vaſa, ſemper fœtum ſolo humore albicante nutriri per os perfectum ſcribit, imperfectum ſola appoſitione ſimplici. Sed his rejectis *Ant. Everardus* ſolum os ſemper admittit, quod difficile creditu eſt, ſicut docet *Parens* meus Venerandus in *Anatome nova*, cum initio conceptûs per os chylus attrahi non poſſit, nec in ventriculo imperfecto alterari. Nuperrimè *Matthæus Sladus* Medicus Amſtelodami Eruditus, ſub *Theodori Aldes* nomine latens, ſolum ſuccum nutritium ſeu lympham admittit

ab uteri glanduloſo corpore ad placentam percolatam, neque vaſa ſanguinea unquam hiare in gravidis, niſi vi aut præter naturam. Clariſſimi noſtri *Stenonii* ſententia, cui multum ex debito tribuo, fœtus in utero ore ſemper nutritur, quanquam omnem nutrimenti ſui materiam per umbilicum à chorii vaſis accipiat, liquorem autem amnii provenire forſan ex tota fœtus cute, pulmonibus, glanduloſis portionibus intra amnium ſitis, ano, veſica ad tempus. Præterea conſtat ex mente Ejuſdem, totum fœtum & omnia ad illum vel formandum, vel formatum nutriendum concurrentia eſſe extra corpus Matris, habitâ ratione diſtinctionis inter ſuperficiem externam & internam. Nimirum *Superficies* corporis ita diſtingui commodè poteſt, ut alia ſit *Externa*, cui externum fluidum immediatè communicatur; Eaque vel *externa exterius ſita*, ut cutis, vel *externa interius retracta*, ut totus canalis alimentorum cum viis aëris

aëris & urinæ, nempe aſpera arteria, pulmonibus, utero, viis urinariis, vaſis ſpermaticis, &c. quia hæc, quamvis interius ſita, cum externis tamen immediatè commercium habent & contenta ſua excernunt. Unde in quibuſdam animalibus ſuperficies illa, interius in aliis retracta, externa planè occurrit, ut in piſcibus pulmones. In quibuſdam veſica urinaria deeſt, cujus loco in Avibus quaſi Cloaca quædam eſt, in quam, tanquam in ſentinam, excrementa & urina ingeſta excernuntur. Alia *interna*, ut totum receptaculum ſanguineum, cujus contenta mediatè in aërem excernuntur. Alia denique *communis*, quæ communicat cum ſuperficie corporis & externa & interna, in qua claſſe veniunt pori corporis, per quos materia ſubtilis, vel fluidum illud commune, quocunque demum nomine appellare libuerit, ingrediens variè corpus afficit & omnes noſtros ſenſus perficit, prout copioſius vel parcius & hoc vel alio

modo alteratum; egrediens ſanguinem fuliginibus liberat, quas ſecum excernit. His ita poſitis, cum uterus cum annexis vaſis ſpermaticis inter ſuperficiem externam ſit, ſed interius retractam, facile illa, quæ de materia fœtum vel conſtituente vel nutriente attulimus, explicari poſſunt. Conſtat quidem maximam partem materiæ immediatè prodire ex fluido interno matris ſive ſanguineo ſolo, ſive ſanguineo ſimul & nervoſo; An verò prima rudimenta ſolidarum partium ex illo fluido fiant, an habeant qualecunque principium ſimul cum Matre formatum in loco ubi ovum inde excreſcit, non ita facile erit determinatu. Apparet nihilominus communem hactenus Anatomicorum diviſionem partium in ſpermaticas & ſanguineas, falſo niti principio, ac ſi ſanguis maternus ad virile ſemen accedens, ſubſtantiam à ſemine virili diverſam componeret. Dum enim nihil ex ſanguine materno ſub forma ſanguinis ingre-

ingrediatur vel ovum vel fœtum, nec ulla pars ſanguinea dici meretur, ac ſi à materno ſanguine eſſet oriunda. Atque dum ſemen virile evaneſcit è cavitate uteri fœcundans ſolùm humores Matris atque ovum, de quo poſtea plenius, quo jure ulla pars ſpermatica dici poterit, ac ſi à ſpermate virili ſubſtantiam traheret? Præterea demonſtrari ad oculum poteſt, maternum ſanguinem, ne membranas quidem ovi unquam penetrare, tum primis ab ovo in oviductu conſpicuo diebus, ubi ovum omnino liberum reperitur, tum circa inſtantem partum, quando placenta vel cotyledones in duas partes dividuntur, una adhærente ovo, altera utero, nullâ ſanguinis guttulâ in illa diviſione obſervandâ. Nutriri itaque poteſt fœtus & augeri ſeroſo humore per placentam à ſanguine Matris in ſanguinem fœtus tranſmiſſo & in ſuperficiem externam fœtus excreto, qui intra amnion continuis circulationibus à ſuperficie externa in



internam, & vice versa, sui partes transmittit, donec tandem acrior redditus fœtum inquietum sui stimulatione reddat, qui calcitrare & ruptis membranis viam sibi invenire cogitur, uterusque ad excretionem irritatur. Quippe primo tempore, nempe in abortu IV. Mensium, liquorem hunc in Amnio contentum coloris ex albo rubescentis, gustu dulcem, tenuem, digitis glutinis instar tenuioris adhærentem observavit nuper Celeberrimus *D. Gerard. Blasius* Amicus summus, in Observat. Anatom. Practic. Quicquid horum sit, alimentum quodcunque à matre accipit, depuratur in placenta, in visceribus fœtus ipsius, ut nihil immundi seminei, quod corpus inficiat, relinquatur. Et si infectus sit matris sanguis, statim injurias suas fœtui tenello imprimit, quod in petechiis, variolis, aliisque morbis videmus, quibus in utero subinde fœtus tentatur, matre laborante. Nemo sane concipere mente potest, quo-

quomodo reliquiæ illæ sanguinis materni ad senium filios comitentur decrepitos, tot interea morbis crisibusque expurgatos, tot victus ætatisque mutationibus quasi aliâ naturâ indutos, quos tamen variolis decubuisse exempla docent. Sympathiam sanguinis à quocunque principio ortam, aliquid conferre non negamus, unde nonnulli fratres, etiam locorum intervallo dissiti, simul variolis corripiuntur, nisi huic eventui casus fortuitus prætendatur. Sed propius ad veritatem, quæ dubia, accedere videntur ii, inter quos *Fernelius* lib. 11. de Abd. c. 12. qui contagioso aëri atque maligno malum hoc adscribunt, quod pestilentiæ more certis annis per multorum simul exitium vel salutarem crisin grassatur, quos easdem sibique similes reliquias à matribus diversis traxisse vero non sit simile. Auget hanc suspicionem malignitas variolas nonnunquam comitata, nonnunquam innoxia. Quibusdam annis

quæ variolæ grassantur pueris sunt indemnes. At aliis annis cum petechiarum malignitate certant, quibus vel junguntur vel æquiparantur. Anno Christi 1574. in insula Rugia tantum virus pestiferum ex putredine contraxisse auctor est *Fr. Joël* l. IX. Prax. Sect. 5. c. 2. ut detractis crustulis pustularum in subcutaneo ulcere vivi vermiculi reperirentur. In nonnullis viscera depopulantur, sensus nobiliores externos mutilant, & denique vitâ privant, acerbamque mortem accersunt in infantibus, immaturam in juvenibus, si ita accuratè cum Philologis nonnullis loqui libeat. Certè rarò Medicina quicquam ibi proficit, eludente artem malignitate, præsertim si tenellulum corpus major vis invaserit, symptomataque invalescant. Ne tamen nostro officio desimus, quos in vita servare non possumus, post mortem, si quadragesimum diem excessêre, quos, ex *Virgilio* Æn. l. VI,

— *ab ubere raptos*

Abstu-

Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo,

tumulum cum titulo ponemus antiquo ritu Romanorum, quem describit *Gutherius* lib. 1. de Jure Manium cap. 29. ex Inscriptionibus variis edoctus, quibus evincit post quadragesimum tantùm diem tumulum cum titulo positum, quanquam mirer Docto Viro non visam Inscriptionem, quæ Romæ exstat apud M. Anton. Alterium, à *Grutero* Inscript. Antiquar. pag. 688. è *Boissardo* laudatam, quæ quarti tantùm diei meminit in infante fasciis involuto:

D. M.
IVLIO. DIADVMENO
FILIO
IVLIVS. CORVNCA
NIVS
VIX. HOR. IV.
HORA. BREVIS. VITÆ
LETVM. TVLIT.

Si necdum quadraginta dies impleverunt, adeoque minores sunt igne rogi, ut canit *Juvenalis* Sat. xv. in hoc

etiam veteres Romanos imitati urnulis tectos in Suggrundariis locabimus, seu protectis, explicante *Meursio* lib. de Fun. cap. 38. de quibus suggrundariis seu sepulchris infantum *Fulgentius Placiades* de Prisco sermone ita loquitur: *Suggrundaria antiqui dicebant sepulchra infantium, qui necdum* XL. *dies implessent, quæ nec jam Busta dici poterant, quia ossa quæ comburerentur, non erant, nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumesceret.* Et ex *Rutilio Gemino* illustrat *Kirchmannus* l. de Fun. Rom. 1. c. 3. paucisque meminit *Barthius* lib. XI. Adversf. cap. 21. Sed eorum figuram graphicè depictam dedit *Jo. Bapt. Suarez* Antiq. Gaditan. Hispanica lingua editis lib. IV. c. 4. Nosque alibi, ubi magis hæc ad propositum, exhibemus. Verbo finiam verbis *Tullii* I. Tuscul. Si puer parvus occidit, æquo animo ferendum: Si verò in cunis, ne querendum quidem.

EXERCITATIO II.

BASILISCUM EX OVO GALLI NON EXCLUDI.

Et de modo imprægnationis ovi.

VUlgaris eſt Fabula baſiliſcum ex ovo Galli Gallinacei decrepiti naſci, eumque viſu interimere homines. Cujus etiam apud veteres tantus timor inſedit, ut vel incurabile illius venenum judicarint, adeoque quia ſubitanea mors ſupervenit, ſupervacuum eſſe remedia contra illud referre, ſicut *Aëtius* Medicus Tetr. 4. Serm. 1. c. 33. vel magnis præſidiis, ut Caſtorei drachma in vino pota, & papaveris ſucco expugnare docuerint, quod de Eraſiſtrato legimus apud *Dioſcoridem* lib. de Theriaca cap. ult. Quid narrationibus vulgi ſtatuendum ſit pretii, operæ duxi pretium paucis expendere, dignus enim videtur vindice nodus. An baſiliſcus unquam in rerum natura fuerit dubito juſtis de cauſis, noſtro ſaltem ſeculo

talis

talis nunquam visus fuit qualis describitur. Veteres ipsi qui basilisci meminerunt, adeo inter se variant descriptionibus, ut vel diversas species eodem nomine indigitarint, vel Chimæram nobis finxerint. Nam descriptio variat, variantque effectus. *Aëtius* l. d. tres apices in capite habere dicit; sine alba macula. *Galenus* lib. de Theriaca ad Pisonem, belluam ait esse subflavam, triplici frontis apice insignem. *Plinius* l. VIII. c. 21. scribit, in Cyrenaica provincia generari, duodecim non amplius digitorum longitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate insignem. Cui ferè consentit Epitomator ejus *Solinus* Polyhistor c. 37. nasci in solitudine quadam inaccessâ, incultâ & squallente, quæ Cyrenis à tergo est: serpentem esse penè ad semipedem longitudinis, albâ quasi mitrulâ lineatum caput: cum movetur, mediâ corporis parte serpere, reliquâ arduum esse & excelsum. *Avicenna*

lib. IV.

lib. IV. fen. 7. tr. 4. c. 22. coronato capite describit, cujus longitudo est duorum palmorum, & caput acutum valde, & oculi rubei, & color ejus ad nigredinem & citrinum declivis, &c. multiplicari autem in terra Aroreh, vel Turciæ, ut legunt alii, & Nubiâ: Recentiores Galli formam illi assignant. Neque in viribus ejus describendis concordes sunt veteres. *Galenus*, solo visu & sibilo homines occidere, sique ab aliis animantibus tangatur, ea protinus vita privare. *Heliodorus* Æthiop. l. III. afflatu solo & aspectu obvia exsiccare & inficere, dicit. Percussorum symptomata recenset *Aëtius*, quibus mors subitanea superveniat. Morsum Erasistratus apud *Dioscoridem* attribuit, & *Actuarius* l. VI. M. M. c. II. *Plinius* & *Solinus* sibilo fugare omnes serpentes produnt, esse internecionem generis humani, omnibus qui oculos ejus vidêre confestim exspirantibus. Fabulam Fabulâ confirmant. Et errantium

turba

turba mutua ſibi præſtat patrocinia. Creditum, enim *Plinio* eodem narrante, quondam cum ex equo haſtâ occideretur Baſiliſcus, per eam ſubeunte vi, non equitem modo, ſed equum quoque abſumptum. Similia affert *Avicenna* l. c. Terram ipſam polluere & exurere *Solino* fertur, exſtinguere herbas, necare arbores, [frutices dixit *Plinius*, quod mavult Cl. *Salmaſius* Polyhiſtor Exerc. Plinian. pag. 371. cum parva ſerpens baſiliſcus, arbores afflatu necare non poſſet,] ipſas etiam corrumpere auras, ita ut in aëra nulla alitum impune tranſvolet infectum ſpiritu peſtilentiali. Quo cum conſpirat *Lucanus* l. ix. Pharſ.

Sibilaque effundens cunctas terrentia peſtes
Ante venena nocens latè ſibi ſubmovet omne
Vulgus, & in vacua regnat baſiliſcus arena.

Morſus ejus & venenum incurabile cenſet *Aëtius*, curabile myſtelis *Plinio*,

nio, castoreo & papavere *Erasistrato*, gallo gallinaceo apud *Ælianum* libro III. de Anim. c. 31. Tanta inter Authores est discrepantia, ut facilius inter horologia conveniet quàm inter ipsos. Ut cum Chimæra conferri possit, quam *Homerus* describit Iliad. Z. divinum fuisse genus, non hominum, quæque

Ante Leo, post autem draco: media autem capra,
Ingentem spirans ignis vim ardentis.

Illa autem inexpugnabilis cum ibidem interfecta sit, nec exinde in vitam redierit similis, sine dubio ad interitum etiam Basiliscum secum traxit, si quidem vel talis unquam exstitit, vel species interire possint. Nam nusquam in Orbe hodieque conspicitur. Nemo vidit fide dignus, & *Galenus* ipse ingenuè fatetur l. x. de Simpl. Med. Facult. c. 1. sibi nunquam contigisse videre basiliscum; sique vera sint, quæ de eo referuntur, periculosum etiam esse vel propius ad hoc animal

mal accedere. *Ægineta* l. v. c. 19. rarò in hominum conſpectum venire aſſerit, & *Actuarius* l. vi. M. M. c. 11. rarò occurrere. *Aldrovandus* quidem ex volumine de Oſtentis iconem cujuſdam baſiliſci in ſolitudinibus Africæ ſtabulantis operi ſuo inſeruit, quæ tamen ex ingenio ficta videtur, cùm octo pedes affingantur, & à vulgari deſcriptione diſcrepet. Altera icon Romæ à *Parente* viſa & depicta cap. vii. Obſervat. de Unicornu, monſtroſa eſt, capite caponis inſtar cornuto. Regulus ille in inſula Zeilan à *Garcia ab Horto* l. 1. de Arom. c. 44. deſcriptus, cujus etiam meminit ex *Ferdinando Lopez.* l. 1. Hiſt. Ind. *Carolus Cluſius*, & pro Baſiliſco quoque habetur à *Jonſtono* l. 1. de Serp. tit. 2. c. 1. Art. 1. ſi coronam exceperis, qua etiam alii gaudent, nihil differt à venenatis aliis ſerpentibus, unde etiam ligno colubrino venenum ejus exſtinguitur. Paſſim quidem in Myropoliis oſtenduntur exuviæ quædam, quæ

pro

pro Basiliscis venditantur, vulgò enim ex Raja pisce artificiosè compingitur æmula Basilisci forma, quales exhibuit *Aldrovandus*. Quam fallaciam in exuviis quoque illis, quas in Miscellaneis Curiosis Anni Tertii exhibitas videmus, deprehenderunt *Wedelius*, dignissimus *Rolfinchii* Jenæ successor, & *Jænischius*, Miscellaneorum post *Sachsium* Collector, Observ. 128. Et non ita pridem mihi Lugdunum scripsit *Parens*, Hafniæ easdem exuvias, revera Rajæ, falsò venditatas pro Basilisco. Nimirum non nos debent alii imperitorum fabellis delectati in errorem mutui rapere consensus. Experientias tamen nobis verasque Basilisci historias, obtrudunt alii fide recentiorum. *Platina* in Vit. Pontificum narrat de Basilisco Leonis Pontificis Romani IV. orationibus è fornace S. Luciæ expulso, cujus halitu & veneno multi mortalium perierant. Sed quia nec *Platina*, nec *Scaliger*, qui Exerc. 246. §. 4. ejusdem meminit,

C

nit, figuram istius basilisci expresserunt, nihil certi affirmare possumus, an serpens fuerit venenatus, vel monstrum aliud informe, cui lumen ademptum. Aliam historiam ex communicatione D. *Mosani*, Archiatri Casellani contexuit *Jo. Pincierius* l. III. Ænigm. 22. de Basilisco magnitudine gallinæ, capite ad Galli Indici figuram accedente, cristâ coronæ æmulâ, partim flavo, partim cœruleo colore consperâ, dorso multis maculis eminentibus, oculisque bufonum assimilantibus, interjectis passim coloribus virulentorum animalium, ut plurimum autem flavo, cruribus oblongis, galli cruribus simillimis, ante & post hæc cruribus duobus aliis prodeuntibus, bufonum cruribus respondentibus, cauda denique incurvata & sursum reflexa, maculisque superius plena, inferius flava, in extremo bufoni concolore: quem ex subterranea cella Varsaviæ Polonorum A. C. 1587, multorum exitio

infesta Johannes Jaurerus Silesius extraxit, speculis munitus, quibus, visâ propriâ imagine, basiliscus interemptus. Hæc verè ita esse gesta, authoritate vigilis Magistri, tanquam αὐτόπ̔της, & primæ notæ testis confirmantur, cui nihil detractum volumus, majorem tamen habituri fidem relationi si ipse *Mosanus* rem visam narrasset. Felicius enim succedunt artes, si soli artifices de illis judicent. Tacent de memorando hoc ostento alii Annales istorum temporum. Et quo minus assensum præbeam ego, patre Thoma natus, manusque oculatas habens, non pauca sunt rationum momenta. Nemo quippe probaverit basiliscos in speluncis ideo delitescere, venenoque & aspectu suo inficere ingredientes, quod multi ibidem suffocentur. Nam vapores alii maligni in cavernis contenti & expirantes suffocationi sufficiunt. Exemplum habet *Licetus*, ex aperto monumento diuque clauso multos interiisse. Fama

apud nos eſt, ſepulchra veterum in campis noſtris ſaxo munita ſi aperiantur, oculorum inducere caliginem. Avum meum Paternum *Caſp. Bartholinum*, memoriæ beatæ, ſimilia in oculis paſſum à *Parente* Venerando accepi, cum ille curioſitate ductus urnas ſepulchrales effodiendo per colonos venaretur. Fumum carbonum per bronchia pulmonum hauſtum eorundem obſtruere meatus, & ſuffocationem accelerare, nupero exemplo Hafniæ puellæ cum infante in cubiculo carbonibus exſtinctæ in platea Orientali conſtat. Et ſimile de duobus fratribus fumo carbonario mortuis habet *Nic. Fontanus* in Analect. Obſerv. cap. 22. Pluribus ante illum illuſtrat *Marcellus Donatus* l. 11. hiſt. Medic. Mirab. cap. 6. De peſtilentia quoque notum, quam multi inficiantur ex ſola inſpectione intra domos infectas. Non negandum tamen viſu tactuque venenatas atomos tranſire ad vicinos, ut, ſi de baſiliſco vera eſſet narratio,

facile

facile hujus effectus causa explicari posset, præsertim ex veterum superstitione vel credulitate. Visu enim effascinare gentes quasdam proditum est. Ita *Plinius* lib. VII. c. 2. esse ejusdem generis in Triballis & Illyriis adjicit Isigonus, qui visu quoque effascinent, interimantque quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis: quod eorum malum facilius sentire puberes: Interire quoque probata, arescere arbores, emori infantes. Et *Plutarchus* l. V. symp. quæst. 7. ex Philarcho Tybios narrat gentem Ponticam fascino obesse non pueris modo, verum etiam adultis & Viris, aspectum enim & respirationem & linguam ipsorum afferre mortem. Ad animalia quoque transiit malus oculus apud *Virgilium* Eclog. III.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Amatorius oculus huc refertur, in Venerem putris, de quo conqueritur ad Filiam *Heliodorus* lib. III. Æthiop.

thiop. *O filiola, ô nata, mene patrem celas, ex quo labores? & cum fascinata sis, taces quasi injuria affeceris, & non affecta sis ab oculis qui te male aspexerunt.* Ὀφθαλμὸν βάσκανον dixit *Heliodorus*, & interpretatur *Theocriti* Scholiastes κοίνοντα, καὶ φθείροντα τὸ ὁρᾶν, καὶ μάλιστα παῖδας ex *Plutarcho* l. c. Unde cum veteres etiam Romani res teneras aspectu noxio virosorum hominum aut mulierum fascinari crederent, ut aspectum effascinantium ab oculis puerorum abducerent, suspendebant illis è collo Mutinum, quem vocabant, Deum, vel Fascinum, qui hujus fascinationis credebatur averruncus, & erat *Res turpicula* explicante *Varrone* lib. VI. Alii etiam fascinationibus adoratione peculiari occurrebant, Græcam Nemesin invocantes, teste *Plinio* Nat. Hist. l. XXVIII. c. 2. De quibus nos alibi. A vetulis menstruatarumque mulierum oculis effluvia emanantia, & dolorem inferre capitis & specula infi-

cere

cere creduntur. De lupo fabulantur, quos prior aſpexerit vocem intercludere. Unde illud *Virgilii* Eclog. IX.

— vox quoque Mœrim
Jam fugit ipſa: Lupi Mœrim videre priores.

Ad veriora devolvamur. Sunt intuitu oris ulcera, quæ inficere poſſunt. Nihil dicam de peſtilentia, ſcabie vicino pecori contagioſa, variolis, aliiſque malignis effluviis inficientibus morbis. Nec puellam veneno nutritam è mortuis revocabo, quæ ad Alexandrum Magnum miſſa dicitur, ut eum halitu vel tactu inficeret. Id unicum de *Moſani* narratione dicam, multos ſpectatores, imò bis mille recenſeri, ſed unicum tantum teſtem, eumque Vigilum Magiſtrum, ſine dubio magis vigilantem in caſtris vigili oculo & intento machæræ generoſæ, cum geſtit fartum facere ex hoſtibus, ut *Comici* verbis utar, quam naturæ contemplationi. Expendite quæſo naturæ myſtæ gallum hunc

Basilisci. Solus in crypta repertus fuit. Ubi gallina? Unde prognatus? Quo modo genus propagare potuit? Cur nusquam exinde ibidem visum simile animalculum? Africa credebatur natales dedisse basilisco, si credimus *Avicennæ*, *Solino*, & *Æliano* lib. III. Hist. Anim. c. 31. & in Libyæ desertis secedere author est *Actuarius* l. VI. M. M. c. 11. raroque aliquos in eum incidere, illive incurrere. Unde Varsaviam ex Africa trajecit hic solus basiliscus, qui nostris navigationibus ex Africa nunquam deportatur, nec visus ibi narratur ab ullo? Si à galli veteris ovo exclusum hic fuisse dicas, credam, sed non sine teste idoneo. Neque hoc genus basilisci, quod à priori distinguit *Casp. à Rejes* in Elys. jucund. Quæst. 65. & ante illum naturæ alioqui peritissimus *Euseb. Nierenbergius* l. VI. Nat. hist. c. 20. adeo venenatum creditur, ut momentaneo visu interimat. Addo gallum nec juvenem nec decrepitum ova parere posse,

posse, & si pareret, nunquam basiliscus excluderetur, sed gallus sui generis. Utrumque quanquam patronos non paucos pro se habeat, inprimis *Levinum Lemnium* l. IX. de Occult. Nat. miraculis cap. 12, ratione & experientia convincam. Nullum certè ovum nisi à fœmina concipitur, nec fœcundum est nisi à mare imprægnetur. Hoc enim fine principe sexus discrimen Natura introduxit, ut uterque per se indigens alter alterius auxilio egeret, & ad generationem operam mutuam traderet. Hoc argumento utitur *Harvej.* Exerc. de Gen. Animal. 27. ut non magis absque maris & fœminæ opera ovum efficiatur, quam fructus absque arbore. Eodem argumento nos per omnia animantium genera progredimur, quæ per ova omnia multiplicantur. Hinc ovaria fœminis omnibus data, nulli masculo. In humana specie rem jam liquidam primus fecit *Nic. Stenonius*, ut ovarium in mulieribus etiam osten-

di poſſit manifeſtiſſimè, quod antehac Anatomici pro teſticulis fœminarum habuerunt. De cujus ovarii & uteri muliebris fabricâ longè elaboratiſſima prodidit *Joan. Swammerdamius*, & *Regn. de Graef* ejuſdem ovarii meminit in libr. de Part. Gener. Mulierum, nuperrimeque *Fridericus Ruyſch* in eleganti figura ex recenter imprægnatæ utero delineavit, ubi per teſticuli aperturam fœcundum fœminæ ovum egredi, & per Fallopianam Tubam patentem proboſcidis inſtar ad ovarium tortam, ad uterum tendere, clariſſimè patet. Addam & ego, me hîc non ita pridem apud Æſculapium Lugdunenſium incomparabilem D. *Lucam Schacht* vidiſſe in ovario fœminæ cujuſdam ab ipſo diſſectæ, cujus alterum ovarium præter naturam ad magnitudinem humani capitis increverat, ovum non ſine ſummo artificio ad exitum præparatum, quod per viam ex teſticulo convenientem in tubam deducere ſe potuiſſe, ipſe mihi

mihi Vir Candidus fassus est. Quæ via hoc etiam argumento probari potest, quod in animalibus quibusdam testiculi in Tubis absconditi reperiantur, ut minima pars illorum detecta sit. Cæterum videmus viam ovis in uterum per Tubam stratam & sentimus ovum à tricis tunicarum enucleatum hac pergere, tacent tamen plerique veram causam, quæ ovum stato tempore tunicarum plexibus liberat. Latet seminis Virilis in ovum operatio atque illud quo modo ad generandum, & ovum fœcundandum concurrat. Laborat quidem *Benjam. à Broeckhuysen* Oeconom. Animal. nuper edit. Articul. 94. in humore quodam per uterum fluente, illi analogo, quem circa canum prurientium genitalia observavit, cui semen masculinum prolificum admistum, motum à priori diversum adferre & gyro quodam incitato fœces ad latera detrudere, fierique postea primum fœtus rudimentum,

tum, ſcilicet ovum, ſtatuit. Sed hac in re omnibus palmam eripere videtur Magni Præceptoris noſtri *Stenonii* ſententia, quam probabilem meritò amplectimur. Et ego, cum ſingularem Viri candorem cognitum habeam, non dubitabo hic apponere. Statuit autem ſemen virile in uterum injectum non manere, ſed ſive totum, ſive præcipua ſui parte intra ſanguinem, forſan & nervoſum genus, penetrare. Confirmat hoc obſervationibus, cum in animalibus poſt congreſſum apertis nullum in oviductu ſemen repertum, & illuſtrat idem *Harvæi* experimentis. Quocirca cum ſtatim poſt congreſſum alteratio in ſanguine ſentiatur, pro certo habendum ſemen virile non aliter ac medicamenta aut alimenta aſſumpta vires ſubtiliores ſtatim ad ſanguinem amandare videmus, ſanguini communicari, cujus conſpicua & numeroſa ſatis vaſa prope uterum occurrunt. Sanguis ipſe vi hac ſeminea impræg-

natus

natus atque alteratus, ex indiſſolubili circulationis lege ad ovarii vaſa, quaſi per catadupa, ruit, ova qualicunque modo alterat, vi quâ abundat ſemineâ fœcundat, atque impellit, ut in uterum per tubam via convenienti illabantur. De ovo humano nuper breviter aliquid in orbem miſit *Chriſt. Frider. Garmannus*, & de ovo Harvejano labores *Schraderi* Medici Amſtelodamenſis, publico nuper donati, ad quam rem illuſtrandam docta quædam meditatur *D. J. Hannemannus.* In gallo autem ovarium nullum reperiri teſtis eſt *Parens* Venerandus, qui in gallo coram Auguſtiſſimo Rege Divo *Friderico* Tertio, in arce Hafnienſi diſſecto, qui oviparus credebatur, nullum ejus veſtigium aut volam invenit. Neque ex ovis, quæ à gallis excreta putantur, ſive gallinis ſupponantur, ſive calore alio foveantur, quicquam excluditur, multo minus baſiliſcus. Factum ejus rei periculum non ita pridem in officina Beckeriana Hafniæ

Hafniæ in fornace, more pullitiei Ægyptiacæ, imposito ovo, quod gallus credebatur peperisse, sed irrito successu, sicut in Actis Hafniensibus Anni 1673. à *Parente* proditum est. Hinc facile patet, ova quæ gallis attribuuntur, vel esse gallinarum immatura, monstrosa vel subventanea, quæ gallus forte in nido superveniens videtur excrevisse, custodibus id non advertentibus. Viderunt multi gallos incubasse ovis, audivimus legimusque multos putasse ova esse galli, nullos tamen qui viderint ova à gallis ipsis excreta. Monstrantur ova varii coloris, variarum figurarum, sed quæ à gallinis omnia potuerunt prodire. Et ut tandem quid rei sit de Basilisco aperiam, in veterum recentiorumque defensionem, notandum in veterum de Basilisco traditionibus hieroglyphicum sensum involutum latere, ut ingrati hominis & malitiosi idea vera exprimatur, vivumque exemplar. *Wolf. Franzius* de Anim. Hist. Sacr. p. 4. c. 5.
ima-

imaginem esse dicit Diaboli, & commodè referri posse ad maleficos, imo vetustatem comparare solitam fuisse cum peccato. In quam rem prolixè commentatur *Jo. Bustamantinus* libr. III. c.18. Ante hos *Horus Apollo* in Hieroglyph.1.lib.1.Basilisco ævum significari tradit, cum sit animal immortale, quod verè pro commento habet in Observationibus *Nic. Caussinus* auctoritate *Solini*, qui cadaveris basilisci meminit à Pergamenis empti. Ægyptios quoque basiliscum pingere idem *Horus* testatur lib. II. Hier. 57. hominem ab accusatore conviciis affectum significantes. Deinde basiliscum sumi pro serpente venenato præ cæteris eminenti, unde Θηρίον βασιλικὸν dici, quod in capite habeat album instar diadematis, vel quod reliqua serpentum genera vim ejus fugiant, *Festo* judice. Hac formâ basiliscus depingitur à *Gesnero* l.v.de Serp. Et notas vulneris à basilisco inflicti, ad auri nempe colorem efflavescentes, *Dioscorid.* de

The-

Theriaca cap. 18. plerorumque virulentorum animalium morſus comitari aſſerit. Serpentes autem ſuis ovis excludi vidimus, & nonnunquam ex gallinarum ovis generatos multis exemplis confirmatur, quæ ex *Aldrovando*, *Liceto*, *Paræo*, aliiſque affert in Ephemeridibus Germanorum Anni Tertii *Simon Schultzius* Obſ. 190. & exemplo confirmat ovi Thorunenſis à Judæo coćti, in quo ſerpens ſpithamæ longitudinis & digitalis craſſitiei inventus A.C. 1672. ſive illi ſerpentes ex putrido ovo generentur, ſive quod gallinæ à ſerpentibus comprimantur, ſive denique quod ſeminium ſerpentinum devoraverint inter alias nutrimenti quiſquilias, ſicut ſuſpicatur Doćtiſſimus *G. Segerus* apud laudatum *Schultzium.* Tertiò monſtroſa ova ſæpe à gallinis excludi, tam extero cortice varia & à conſuetis abludentia, quàm internis contentis. Tale fuit *Paræi* illud l. 24. Chirurg. à *Liceto* quoque annotatum, de Monſtr. l. 11.

c. 74. ex quo monstrum prodiit facie quidem humana, sed capillitio colubris undique horrente, mento, tribus aliis colubris vibratis, veluti barbato; cujus ovi albumen feli exhibitum, repentinam mortem intulit. Denique arte nonnunquam similia monstra fieri. Refert ex *Io. Bapt. Porta Weckerus* l. VIII. de Secretis c. 2. quo modo ex Ovo artificio ingenioque enasci possit animal visu & tactu inficiens, ac si regulus vel Catoblepa esset. Cujus sensus alia apud *Portam* lib. I. Mag. Nat. c. 17. legantur. Tandem ut omnibus scrupulis satisfaciam, sciendum quotiescunque Basilisci mentio fit in versionibus vulgatis Sacræ Scripturæ, regium serpentis genus, veneno decantatum significari. Igitur basiliscum admittimus, non alatum galli instar, sed serpentem, veneno, ut alii serpentes, quanquam magis noxio, infestum; quò inclinat quoque *Sennertus* lib. VI. Prax. p. 8. c. 12. Et Eruditus *Sam. Bochartus* P. 2. l. III. Hierozoic.

D cap.

cap. 10. contra Chaldæum & Syrum negat basiliscum esse volantem. Ad cujuscunque Serpentis morsu tactuque infesti venenum expugnandum spectat Castoreum & μήκωνος ὀπὸς seu Papaveris succus ab *Erasistrato* præscriptus. De utroque consentit *Ægineta* lib. v. de Re Med. c. 19. & *Avicenna* lib. iv. fen. 7. tr. 4. c. 33. Sed ille Castorei drachmas tres præscribit, quanquam nihil horum se expertum fateatur; Hic, licet nihil quicquam conferre ad morsum hunc venenatum dicat, si vero aliquid conferre debeat semen papaveris valere usque ad drachmam unam, & castoreum ad drachmam unam. Ubi *Io. Ant. Saracenus* in Schol. ad *Dioscoridem* semen pro succo papaveris perperam legi credit. Quicquid sit Castoreum nervis dicatum, qui morsu maximè offenduntur. Et oleo suo pestilentiali castoreum miscet *P. Pawius*, quod tantis laudibus extollit à se probatum l. de Peste c. 7. Imo Theriacam Andromachi,

chi, venenis oppositam, ingreditur. Ita & Opium, sive quod incrassando constringat meatus, ne venenum ferri possit ad cor, sicut *Rondeletius* suspicatur l. de Theriac. sicque juvet operationes Antidoti, sive venenosos vapores præcipitando & consumendo vel sopiendo, quo consilio passim commendant alii & in febribus malignis, sive alia quacunque facultate necdum satis explorata, de qua publicum & me aliquando docebit Præceptor Magnus *D. Olaus Borrichius*, quando meditata de papavere experimenta in lucem proferet. Interea optimam Opii correctionem cum succo cydoniorum amplectimur, quam publico communicavit Excellentissimus *D. Joël Langelott* in Ephemerid. Anni Tert. German. p. 100. & *Parenti* Venerando olim in Epistolar. Medicinal. Centuriis verè panchrestam. Alios corrigendi Opii modos tradunt *Dan. Winclerus* l. III. de Op. f. 1. *Hartmannus* de Op. Theor. 7. aliique, quos hîc re-

censere nec libet nec licet. Unum sagacissimum *Thomam Willis* præterire mihi nefas esset, cujus de Opiatis cum voluptate & emolumento legi meretur Pharmaceutice Rationalis Sect. VII. In doloribus magnis (quales solent in inflammationibus & vulneribus excitari) Castoreum laudat *Alex. Trallianus* lib. III. c. 2. si æquale Opio misceatur. Monet tamen Opium esse deligendum vetus, ut magnam ipsius in torpore inducendo facultatem vitemus. De quo alii circumspiciant.

EXERCITATIO III.

DE USTIONE BREGMATIS.

DE Libyæ populis teſtatur *Herodotus* lib. IV. puerorum ſuorum, cum annum quartum attigiſſent, œſypo ovillo venas verticis adurere, alios verò ipſorum temporales venas: quod ideo agere credit, ne ullo tempore à capite deſcendens pituita offendat, & propter hoc ſeipſos ſaniſſimos prædicare. Quem *Herodoti* locum expendens *Hier. Mercurialis* Var. Lection. l. 11. c. 2. de œſypo dubitat, an ſufficere ſimili operationi potuerit, niſi fervens fuerit, nam oleum fervens urere. Itaque cum *Hippocrates* lib. de Affect. & alibi ſæpe lino crudo urendum mandat, de ignito interpretandum cenſet. Non dubitandum filum œſypumque incendendum, ut olei fervidi inſtar urat. Si œſypum pro lana ſuccida ſumſerit *Herodotus*, ita enim vocatur *Scribonio* Comp. 161. *Plinio*

lib. XXIX. c. 2. *Varroni* l. II. de R. R. cap. II. illi adhærentes ſordes ovillæ pingui ſuo ſucco olei vicem præſtant, ut lana ſuccida & urat, & huic operationi ſufficiat. Et linea petia ſeu contextus filorum, quo ad varios morbos utuntur Ægyptii & Arabes, teſte *P. Alpino* l. III. Med. Ægypt. c. 12. & poſt eos in Italia *Severinus*, referente *Parente*, pyramidali forma exurgens, accenſus urit, quam Uſtionem Arabicam vocant. Si pro pingui ſucco ex lana ſuccida capiamus, quem crebra aquæ lotione extrahit poſt *Dioſcoridem* l. II. c. 84. *Val. Cordus* in Diſpenſatorio, & vino per compendium *Scribonius* Comp. 161. ſine dubio olei inſtar accenſus urit. Nam non accenſus butyri in morem concoquit, & digerit nonnihil ex *Galeno* lib. x. de Simpl. Med. Facult. Quo conſilio *Scribonius* l. c. ad podagram laudat, & in unguento de Arthanita minori, ut & in Emplaſtro diachylo magno miſcet *Jo. Meſues* l. I. Diſtinct. XI. Compend.

Secret.

Secret. Medicam. In uſtione verò Libyca varia nobis explicanda, ætas nempe ægrorum, locus affectus, cauſa uſtionis ſeu finis, inſtrumentum operationis. Ætatem deſignat *Herodotus* ἐπὴν τετραέτεες γένωνται: cum annum quartum attigerint pueri. Æthiopes ipſo die natalium urunt, de quo per compendium legendus *Ioſ. Laurentius* l.11. Polymath. c. ult. Commodiorem quidem ætatem hi elegiſſe videntur, qua ſine inſigni ſenſu operatio perficitur, cum ſine ullo metu nuper nati aut terrore ignis hæc patiuntur. Humidiores & molliores illis partes ſunt, bregma patulum eſt, & in tempore opportuno præcaventur ſymptomata graviora quæ adultioribus terrore naſcuntur. Hæc ratio forſan inter alias fuit, cur Judæorum infantibus ſtatim octavo die præputium præcideretur, cum notum ſit quantos dolores paſſi ſint adultiores circumciſi *Geneſ.* 34. Inter naſcendi quoque initia linguæ

frœnum, quando adest, infantibus præcidere solent Chirurgi nostri. Malè nonnunquam Libyæ populis cessisse operationem hanc periculi plenam, superveniens convulsio indicat, quam hirci urinâ inspersâ curasse, author est ibidem *Herodotus*. Nam ad dentiendi tempus accedentibus, propter dolores, etiam convulsiones maximè invadunt, 3. *Aph.* 25. Locus urendus, venæ sunt *Herodoto* vel verticis vel temporales. Aliis frons, in Tuscia occiput, rectius sincipitis illa pars, quæ in infantia patula est, in adultioribus tenuior. Hic enim locus cauteriis accommodus, fontanella dicitur, membranosus, mollisque, si *Aristoteli* credimus, & *Plinio* l. XI. c. 37. donec vocem articulatam edere puer incipiat. Huic parti in destillatione medicamen, quod ex palumbium stercore constat, imponit *Galen.* Meth. Med. lib. V. c. 13. Qua quoque parte bregmatis in comatosis cucurbitulas, cauteriaque adhibemus,
quia

quia poſtquam in oſſeam ſoliditatem cum ætate denſata fuit, manet tamen tenuitas. *Galenus* Meth. Med. l. XIII. c. 22. impoſito roſaceo bregmati illico ſenſit penetrationem. Imo in adultis membranea nonnunquam manſit, ſicut exempla quædam teſtantur, notante *Parente* Hiſt. Cent. IV. hiſt. 87. Venas verticis vel temporales cauterio urere apud noſtros in uſu non eſt. Emplaſtris quidem temporales venæ nonnunquam adſtringuntur, ut ſanguinis curſus ad maxillas retardetur in odontalgia. Cæterum in aliis partibus, quibus cauteria inuruntur, in brachio vel pede, ſedulo cavemus ne tangantur vaſa ſanguinea. Unde anſa dubitandi enaſcitur, an fonticuli, ad quos hodie velut ad ſacram anchoram confugitur, voto reſpondere poſſint. Vix certè aliud evacuare obſervantur, quàm ſanguinis particulam ad partis nutritionem delabentem & in pus converſam. Extra vaſa enim ſua ſanguis delapſus, ſuppuratur

puratur 6. *Aph.* 20. Quandoquidem in interstitiis musculorum, illæsis vasis, fonticuli applicantur, quas vias invenient humores pravi ex capite aliisque derivandi partibus, ut per eos expurgentur? Ad ignotas enim vias confugere artis non est. In scorbuticis sane corporibus nostris ulcera quæcunque periculosa censentur, uti & Hydrope propter gangrænæ metum. Non enim facile sanantur 6. *Aph.* 8. Taceo difficultates alias & ægris molestas. Sæpissimè quippe loco suo contineri nequeunt, sed gliscunt ad inferiores partes, ad tendines, ad vasa, undè puri sanguinis evacuatio sequitur, vel partis rigor, ut vel claudere fonticulos opus sit, vel de novo torquere hominem novâ inustione, sicque actum agere. In defluxionibus tamen tenuis catarrhi non improbantur. Quo sensu *Hippocrates* Coac. Prænot. 172. ulcerum eruptiones liberare dixit à capitis dolore, materiâ nempe dolorificâ, ichorosâ

& acri ad cutem depulsâ, ficut explicant Commentatores. Abscessus quoque pone aures morbum solvit 6. *Aph.* 10. quanquam hic naturæ quasi sit crisis, vel materiæ ἀπόςασις Natura juvante. Naturam tamen imitatur Medicus illius Minister. *Stephan. Rhod. Castrensis* l. IV. Quæ ex quibus c. 9. accuratè distinguit usum fonticulorum, in certis casibus illum admittens, respiciendo ad qualitatem, ubi vaporosa est materia, aut si pituitosa saltem labi facilis; ad quantitatem, ubi grave est malum & undique conquisita remedia postulat; ad loca per quæ ducitur, ubi ea quæ natura fabricavit, non satis patent, aut ubi fluxus per nervosum musculosumque genus peragitur. Circumspectè igitur hic agendum, nec fonticuli promiscuè inurendi: Judicio *Liberatis* de Liberatis l. III. de Podagr. Polit. c. 2. parum juvant, si fluxio per internas partes fiat. Cum soli fluxioni ab externis vasis conferant, monente *Mer-*

Mercato l. 11. Pr. c. 1. Quicquid ſit de his, Libyæ pueri urebantur, ne phlegma à capite defluens offenderet, idque ſiccaretur. Propter quod ſe ipſos ſaniſſimos prædicant, an propter hanc cauſam affirmare non audet *Herodotus*, nec nos audemus. Præcautioni tamen inſervit, ut creditur multis, epilepſiæ, familiari puerorum morbo, averruncandæ, de quo alii diſpiciant, & nos rem altioris indaginis doctioribus relinquimus. *Mercurialis* Conſult. Tom. 111. Conſ. 138. ad quæſtionem ſibi propoſitam, ſc. num ad conſervandos Illuſtriſſ. cujuſdam viri natos efficax auxilium ſit futurum, ſi ipſorum capita, ut Hetruſcorum mos eſt, incendantur: ita ſentit, ejuſmodi uſtionem opportunè & prudenter adminiſtratam prodeſſe quidem, nullo modo autem obeſſe poſſe; præcipuè ſi natos plus æquo humidiores eſſe animadvertatur; ſi enim, ut perhibet *Hippocrates*, ulcera in infantium capitibus ſponte naturæ

naturæ facta mirum in modum ipsis tuendis conferunt, pariter ulcera sub ejus morbi sedem ab arte facta procul dubio singularem utilitatem præstabunt. In soporosis affectibus quæ cauteria bregmati nostro seculo rarius inuruntur, quæque & aliorum & propria experientia damnat *Lud. Septalius* libro VI. Animad. §. 107. deficientibusque aliis remediis concedit Avus meus Paternus b. m. *Casp. Bartholinus* de Caut. c. 8. licet periculo non vacantia, non tam humoris exsiccationi, qui profundiores habet radices, quam ut sensus torpentes excitentur dolore provocati. Hunc, ferrum ignitum, sive patens, sive theca tectum, quale ex *Aquapendentis* invento vidi in *Parentis* Musæo, delineavitque *Scultetus* in Armamentario Chirurgico, excitat. Nec minus œsypus Libyorum ex *Herodoto* laudato, quem posteriores Græci Medici hyssopum, sed humidam, ad differentiam hyssopi herbæ, vocant, sicut in Dissert. *de Latere*

tere Christi aperto c. 8. probavit *Parens* Venerandus, οἶσ☉ sive vitex apud *Theophrastum* l. de Igne, linum accensum, & carbo ignitus. Nostrâ quidem ætate Cauteria potentialia ex lixiviis aliisque arcanis composita, de quibus Avus meus b. m. *Casp. Bartholinus* l. de Cauter. & *Glandorphius* in Gazophylac. aliique plura annotarunt, minus horroris incutiunt delicatulis ægris; tutius tamen & citius actualia ulcus inurunt mundantque: ut verus sit *Hippocrates* 8. Aph. 6. *quæ non sanant medicamenta ea ferrum sanat; quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat; quæ ignis non sanat, ea incurabilia judicare oportet.* Ubi tamen ignis vel verus, vel effectu & potentia talis est intelligendus.

EXER-

Exercitatio IV.

UNDE ODOR VIOLACEUS IN CAUDA VULPINA?

SCilicet apparent etiam in minimis quæ miremur, nec in abjectiſſimis iners eſt provida Natura, quin ſtupenda Sapientiſſimi Numinis manifeſtet miracula. Nihil in creaturis membrorum eſt, quod non neceſſitatis cauſa & decoris, & in illa utriuſque mutua copula elucet Creator, cujus magnitudinem mirari quidem, æſtimare ſatis non poſſumus, quippe illam qui noſſe ſe putat, minuit. In abjectiſſima vulpina cauda molita eſt natura quod admiratione dignum admirationem ſuperat. Non vitream fractam, ut nequitiæ ille *Arbiter*, non ſomniorum loquor interpretamenta, experimento conſtant, quæ profero. Signavi brevìter hiſtoriam literis ad *Parentem* datis, quæ in *Actis Hafnienſibus* legitur. Nimirum, cum talia magis ſemper ventilentur quàm vel inveſtigentur vel

vel probentur, Ann. currentis xv. Feb. cum adhuc Hafniæ degerem, contigit apud Medicum inclytum, mihique arctissimo sanguinis & consuetudinis vinculo amicissimum *D. Henricum à Mönichen*, Archiatrum Regium meritissimum, experiri quid Nobilissimorum quorundam & Illustrissimorum hominum sententiæ dandum esset, quorum auctoritate passim increbuerat, in Vulpeculæ Cauda dari locum & ductum moschi odoris æmulum. Tentatum est à Prosectore Exercitatissimo *Cl. Stenonio*, qui in dictum locum diligentius inquisivit, haud nescius *Theocriti* vetustissimum simul & prudentissimum esse oraculum,

Πειρᾳ θὴν πάντα τελεῖται.

Cum hac posthabitâ majoribus quibusdam nostris tam facilis in mendaciis fides fuerit, ut temerè crediderint etiam alia monstrosa miracula, quemadmodum eleganter conquerentem accepimus *Minucium Felicem*. Nos autem observavimus, ad quinque trans-

transversorum digitorum latitudinem ab ossis coccygis initio, pilos aromaticum quendam, vel illi potius, qui in violis primo vere deprehenditur, similem odorem spirantes. Apertâ cute pilos dictos à glandulis quibusdam minutis conglomeratis radices trahere vidimus, & quod notandum, collectio illa pilorum diversi coloris à reliquis horrida erat, instar setarum. Vidi quidem pilos, observavi glandulas, hausi odorem, sed unde hujus causam derivarem ex illo tempore dubius fui. Existimare quidem possem in re hac obscura confessæ imperitiæ summam prudentiam fore, interim tamen, ne tantò veritas obscurior fieret quantò inquisitio tardior, statui singula penitiùs considerare, ut quid inde concludi posset curiosis exhiberem. Cum magna mihi copia sit memorandi, plurimos esse qui alia naturæ miracula cum viderint, veram tamen eorum ignorant rationem, quâ ignoratâ frustra sunt qui

aliquid inde elicere conantur. Placet teſtimonium hujus rei luculentum afferre, quod, quamvis non ita ad dicendi ſcopum, nec tamen inutile, nec ingratum erit. Vulgaris illa ſeu officinarum Lacca, Sumetri à loco natali dicta, quam in provinciis aliquot Indiæ orientalis ex ſucco proceræ cujuſdam arboris fieri ſcribit *Garzias ab Horto*, dum à formicis alatis ſuccus quidam exſugitur, qui in laccam redactus ramis arborum inducitur, uti cum iiſdem ad nos deportari videmus. Nimirum hujus gummi laccæ vera Tinctura, quæ colore rubello oculis adeo blanditur, ut nihil ſupra, fruſtra à multis quæritur, quia plerumque lacca ad hos uſus eligitur bacillis demta, quæ tamen eludit ad rem ipſam minus intentos. Quippe cognatus amantiſſimus *Oliger. Jacobæus*, naturæ totius ingenioſus ſcrutator, & itineris mei comes optimus, obſervavit in Lacca hac dum adhuc bacillis ſuis inhæret, intus latere ſemina

mina nigricantia, ſed minuta, quæ diſſecta colorem intenſe purpureum haud ineleganti ſpectaculo exhibent. Horum ope tinctura illa rubicundiſſima ſolùm paratur cum alcohol vini, & è contrario his demtis voto non reſpondet operatio ſuſcepta. Sed ut ad rem redeam, re vera in cauda vulpina glandulas eſſe non dubitavi, illaſque minutas vidi, quas in numerum conglomeratarum referre nihil occurrebat quod prohiberet.

Glandulæ diu pro parte corporis ignobili habitæ & pro ſpongiis, quæ neſcio quas ſuperfluos ac redundantes corporis humores abſumerent & quaſi imbiberent. Donec *Wirſungus* ductu ſuo peculiari pancreatis glandulam nobilitans, feneſtram quaſi aperuerit, vaſis reliquarum glandularum & inveniendis & inventorum uſui agnoſcendo. Nec ab illo tempore defuêre, quorum circa reliquas glandulas obſervationes ſingulares legerentur. *Warthonus* quantum in hac

arena ſudaverit & effecerit peculiari opuſculo publico exhibetur. De glandulis quid non tentavit Celeberrimus *Stenonius?* cujus incomparabilis ingenii indagine & aſſidua diligentia, plurimis plurimarum partium glandulis detectis ingens ad Anatomen acceſſit complementum. His & aliis documentis, glandulæ non amplius habendæ pro parte corporis; vel otioſa vel ſuperfluis humoribus dicata, ſed pro Cribro, quod à ſanguine humorem ſecernit, ſed conſervationi individui neceſſarium. Quod facile confirmatur, cum non alibi magis quam per totum ductum viæ alimentorum, talia cribra vel parvula variè ſparſa, vel in corpora inſignia coagmentata occurrant: Quarum glandularum ut conglomeratæ receptum humorem à ſanguine ſecernunt, ita conglobatæ receptum humorem in ſanguinem revehunt per vaſa *Parentis* mei Nomine inſignia, quæ diviſio Celeberrimo *Sylvio* debetur. Quæ quidem glandu-
læ

læ conglobatæ cum Renum ſtructura conveniunt quà cavitatem unde exeunt excretoria vaſa, & quà convexitatem partis oppoſitæ, ubi liquor à ſanguine ſecretus percolatur. Unde in Renibus non pauca detexit poſteriorum temporum felicitas. De eorum ſtructura Cl. *Bellinus* accuratiſſimè tradidit, qui felici invento docuit Renum ſubſtantiam nec parenchyma nec fibras carneas ſed tubulorum membranaceorum aggeriem eſſe, & horum ductibus ſerum, à renis peripheria verſus centrum ejus delatum, in pelvim exſtillari. Quare memini Anatomicum Lugdunenſium Exercitatiſſimum *D. Carol. Drelincurtium* publicè experimento curioſiſſimo infudiſſe aquam per arteriam renis emulgentem, quæ non ſolùm per venam iterum, ſed etiam per ureterem exitum invenit. Hac ratione Renes & reliqua viſcera cum glandulis cribra haberi poſſunt corporis, quorum unumquodque ſuos proprios & pecu-
 liares

liares poros habet; Atque ita particulæ variæ sanguineæ per totum corpus circulatæ, ubi earum unaquæque sibi appropriatos poros invenerit ingreditur & ibi à reliquo sanguine secernitur. Eò fit quod bilis non alibi, quamvis aliò feratur, quam in Hepate secernatur, quia ibi sibi conformes poros invenit, serum in renibus, &c. De quibus corporum poris Patruus honoratissimus D. *Erasmius Bartholinus* singulari opusculo legi meretur. Sed ut ad glandulas sermonis metam dirigamus, observatæ sunt plurimæ partes quæ glandulæ sunt, cum tamen secus hactenus putatum sit. Crustam interiorem ventriculi & intestinorum volunt nonnulli glandulosam esse. Et in Anatome *Parentis* nova exhibentur ex communicatione *Swammerdammii* tubuli glandulosi in intima intestinorum tunica à glandulis devenientes. Quam tunicam alii velamentum bombycinum vocant. Præterea quod ad glandulas has, vulpinæ caudæ

caudæ proprias, propius accedit, obſervantur etiam in aliis quibuſdam animalibus peculiares nonnullæ glandulæ, quibus reliquas ſpecies antecedunt. In volucrum genere in œſophago ſupra ventriculum illum carneum inſignis eſt collectio minutarum glandularum, ex quarum tubulis humor alimenta reſolvens in ventriculum redundat. Quod corpus tubulatum in Anatome Aquilæ, publicata in *Actis Hafnienſibus Parentis* mei Ann. 1672, deſcripſit D. *Ol. Borrichius.* Et ego in Cygno 1673. d. 16. April. à me Hafniæ diſſecto memini, præter hæc dicta tubulorum glanduloſorum glomeramina, me notaſſe plurima toto ductu œſophagi foramina humorem emittentia, & alia foramina majora in ingluvie, multa itidem ad latera linguæ, ſecundum longitudinem ejus ſita, ſetam ſatis profunde admittentia, quibus proſpexit provida Natura avium ventriculis ad alimenta, quæ promiſcuè hæc genera
 ani-

animalium ingerunt, promptiùs & facilius diſſolvenda. In quadrupedum genere, præter illas Vulpinæ caudæ peculiares, apud *Stenonium* 1672. d. 6. Novembr. in ſectione gliris fœminæ Hafniæ viſæ nobis ſunt in inguinum regione glandulæ utrinque duæ, quarum exitus ad latera vulvæ terminabantur, humore inſtar lactis refertæ. Cæterum in Cauda Vulpis non glandulæ ſolum, quas præ reliquis, quantum quidem hactenus ſcire licuit, animalibus ibi peculiares habet, ſed odor, quem ſpirant pili quamvis inſolitum, non tamen ingratum, quin potius Violarum ſub primo Favonio fragrantium æmulum, admirationem meretur. Sanè odor ille tanta ſuavitate haud immerito decantatur, ut etiam *Plutarcho* Symp. 111. Corona Violacea ϛέλλει τῇ ὀσμῇ τὰς καρηβαρίας, *odore ſiſtit gravitatem capitis*. Certum eſt in aliis rebus variis ſedulam Naturam aromaticos producere odores. In Animalium genere odoratas quibuſ-

quibusdàm esse partes, ut Moscho, de quo *Parens* in *Actis Hafniensibus* utriusque Anni fusiùs legi potest, liquïdius constat quam ut nos multis attingamus ad alia properantes. De Pardali seu Panthera antiquis proditum est, propter suavem quem spirat odorem, ad se feras allicere ut ex *Theophrasto*, *Plinio*, *Æliano*, latè explicat *Castellus* in *Jonstoni* Hist. Quadr. de Hyæna odorifera. In hoc tamen reprehendit *Aristotelem*, quod Sect. IV. Probl. 13. præter illud animantium nullum bene olere dicat. Cum tamen aliter ex solo *Plinio* constet, qui lib. XXVIII. de animali Cordylo Crocodilo simili ita: *Alter illi similis, multum infra magnitudinem, in terra tantum, odoratissimisque floribus vivit: ob id intestina ejus diligenter exquiruntur jucundo nidore farcta, Crocodileam vocant.* Habent etiam Animalium excrementa quæ nos admiratione detineant. Ut prætaream quæ de Zibetho omnibus ut comperta ita

controversa & diffuse persecuta à *Castello* loco supra memorato; Cum nuper *Ger. Blasius* in Observatis Anatomicis, ex Anatome Felis Zibethicæ utrinque in intestino recto circa podicem vesiculam insignem delineaverit & descripserit, quam distentam nucis Moschatæ majoris magnitudine liquorem album per orificium exiguum ad anum ablegare dicit. Stercus etiam bubulum sibi in Sole relictum & exsiccatum aromaticum nescio quem odorem referre dicitur. *Renodeus* de Mat. Medic. l. III. c. 15. de genere quodam majoris Mustelæ, quæ quod martia sit & pugnax quibusdam Martes, aliis Martorella, vulgo Fovina dicitur, perhibet, quod excrementa ejus moschum redolere sæpe observaverit. *Scaligeri* monitum est Exerc. 211. P. 2. Cercopithecum nihilo insuavius quam moschum fragrare, mediocriter tamen & sine fastidio. Murium sylvestrium, qui flavo colore nuncupantur *Sorci moscaroli*,

roli, ſtercus moſchi præditum odore, prædicat *Caſtellus* l. c. & addit *Jonſtonus* ſe obſervaſſe parva quædam inſecta vaginipennia, à ſe l. 1. de Inſect. Tit. 11. deſcripta, contrectata ſuaviſſimum ſpirare odorem, qualem in floribus Dipcadi, ſeu Muſchi Græci dicti, percipi refert. De ſerpentum lingua perhibetur, ſi per aliquod tempus ſervetur, quod moſchi imitetur fragrantiam. *Parens* Venerandus in Diſſertatione nupera de *Peregrinatione Medica*, quam peregrinantibus nobis ceu teſſeram votivam contulit affectus verè Paternus, refert ſe in itinere ſuo in Italia monitum à curioſis, vulvam Bubalinam exſiccatam odorem moſchi referre, ideoque in unguentis adhiberi à myropolis Neapolitanis. Corticis Piſtachiorum externa pellicula ſi incidatur & cum tabaco, ut nonnullis familiare eſt, incendatur, violas redolet. Nolo me per plantarum genera latè diffundere, contentus de radice Primulæ veris, ſeu her-

bæ,

bæ, quæ Paralyſis dicitur, aſſeveraſſe, in illa è terra recenter extracta, aniſi odorem manifeſtè deprehendi. Per plura non progrediar è diverticulo in viam reverſurus. Odor ille Caudæ Vulpinæ vel ſanguini, qui ad glandulas defertur, & cujus vaſa numeroſa, ſed minuta, circa glandulas illas diffuſa obſervavi; vel ipſis glandulis imputari poſſet, quæ peculiarem ſecernerent humorem, pilis in nutrimentum ceſſurum. Vel etiam ſalivæ Vulpis, quippe caudam frequenter lingere à Venatoribus perhibetur. Qua quidem in parte, ſi modo credere fas eſt, aliquid cum Urſo commune habet. Quare nec incommodum nec ingratum fuerit verbo annotaſſe, quæ in Anatome Urſi à Cl. *Stenonio* Hafniæ quondam diſſecti, circa partem inferiorem pedum anteriorum, quam depilem Urſi frequenter, hyeme præſertim, exſugunt, obſervaverim:

I. Subſtantia ſolida & ex infinitis

cana-

canaliculis perpendicularibus composita, quæ ſubſtantia an cuticula incraſſanda dicenda ſit, dubitari poterit.

II. Ipſa cutis mollis & craſſa, quæ ſuperficie ſua extèriore plurimas fibrillas ſeu vaſcula emittit, ſuis ſingula canaliculis prædictæ parti inſerta. Id quod pulchrè admodum conſpiciebatur relicta utraque parte per aliquod tempus in aqua calcis vivæ; tum enim ab invicem ſecedentes duæ illæ partes vaſculorum ſeu fibrillarum è canaliculis exitum oſtendebant.

III. Subſtantia alba, mollis, pinguedini non admodum diſſimilis, ſita ad radices digitorum, ita ut cuilibet radici ſua eſſet pars diſtincta à vicinis. Viſa etiam vaſa ſanguinea ad eandem diſtributa partem, unde probabilter credidit *Stenonius*, quemadmodum naturaliter per cutem ſecernitur aliquid à ſanguine, modò halitus modò ſudoris forma, ſic in hac parte Urſi fieri ſecretionem partium ſeroſarum ſanguinis eò copioſiorem, quò frequen-

quentiori ſuctu major materiæ copia allicitur, porique apertiores redduntur. Quod an ita in Cauda Vulpina fiat, & loco materiæ nutrientis, quam exſugit Urſus, halitus aromaticus ille à cauda vulpis exhalet, nos altioris indaginis in medio relinquemus; Cum tamen tale quid de Zibetho exiſtimaverint nonnulli, nempe ſudorem animalis eſſe, inter quos *Scaliger*, *Matthiolus*, *Renodeus*, *Jo. Leo* in deſcript. Africæ, quia fatigato, irritato & ſudante animali plurimum colligitur. Imo etiam elicitur ſub coxis, brachiis, collo & cauda ex *F. Gregorio*, quemadmodum pluribus illuſtrat *Petr. Caſtellus* de Hyæna odorifera Zibethum gignente, cap. 8. quanquam Auctoribus ſupra memoratis non largiatur propriè ſudorem eſſe, quia humorem ſolum collectum odoratum, non pellem, axillas, carnem vel totum corpus deprehendit, niſi forte à modo quo colligitur in utriculis hoc nomen ſumatur, & ita concedit; videri enim à

cor-

corpore glanduloſo & ſpongioſo per inviſibiles poros in cavitates folliculorum reſudare, ideoque dici debere non ſimpliciter ſudorem, ſed membri Zibethici ſudorem, contendit. Quicquid ſit, inſtituti noſtri rationi ſatisfeciſſe videbimur probabilia tantum propoſuiſſe, per quæ ad veram concluſionem perveniendi Doctioribus & Sagacioribus majori tum Eruditione tum ingenio in hanc ſcenam prodituris, occaſionem aperimus, iiſque libenter hanc lampada tradimus. Quippe reputo pretioſiſſimum eſſe intelligere quemque ſe neſcire quod neſciat, ſemperque cupere quod ignoret addiſcere. Interim

Ego Davus, quis Oedipus?

EXERCITATIO V.

DE

BRASSICÆ USU APUD PUERPERAS.

NON amore brassicæ, quam rarò naturæ quadam aversione degustavi, sed quod usus iste, à me explicandus vulgatissimæ plantæ à Botanicis negligatur vel omittatur, hunc sermonem instituo. Cujus occasionem dedit *Athenæus* lib. IX. Deipnosoph. ubi inter cibos Atheniensium, qui mulieribus, quæ peperissent, parari consueverant, brassica numeratur, velut idoneum medicamentum quoddam, & aptum nutriendo corpori. Id quod illustrat auctoritate *Ephippi*, quem ita in Geryone loquentem inducit, sed hic per interpretem *Jac. Dalecampium*: *Deinde cur quæso? Nulla præ foribus corona est, Nec ullus ferit victimarum nidor extremam prominentem narem, Cum Amphidromia celebrentur, quibus mos est Assare frusta*

ſta caſei Cherſonitæ, oleoque braſſicam in faſciculos collectam incoquere. Vulgare quidem ex braſſica medicamentum, ſed quod pretioſis nulla parte cedit. Neque enim pretioſa ſemper ſalutaria, cum, ut *Seneca* loquitur lib. 11. de Benef. cap. 2. etiam aqua tempeſtivè data remedii locum obtineat. Ut ratio hujus diætæ apud Athenienſes ſit manifeſtior, operam dabimus. Braſſica certè inter ſalutares cibos numeratur, quâ ſolâ medicinâ uſum eſſe Populum Romanum annis 600. tradit *Plinius* lib. xx. cap. 9. noſtriſque patriæ incolis non raró pro panaceâ habetur, quâ & ſtomachum latrantem ſedant & morbos avertunt. Eſt quippe alimentum medicamentoſum, quod clarius innuit *Athenæus*, cui dicitur ἀντιφάρμακον εἰς τροφήν: quàm interpres *Dalecampius*, qui diviſit *medicamentum* & *aptum nutriendo corpori.* Ut Medicamentum laxans *Hippocrati* laudatur lib. 11. *de Vict. Rat.* quod per alvum ſecedit, & bilioſa educit,

idque quia acrimoniam quandam habet, ſimulque boni ſucci eſt ex eodem lib. *de Affect.* De juſculo ejus id accepit *Galenus* Com. 1. de Vict. Rat. in Acut. ſ. 18. & *Ægineta* lib. 1. de Re Med. cap. 74. nam ſolidum braſſicæ corpus ventrem cohibet, quod etiam demonſtrat *Galenus* lib. 1. de Alim. facult. cap. 3. & lib. 11. cap. 44. & *Oribaſius* lib. 11. Collect. Medic. cap. 5. vel ſi bis coquatur, ex *Ægineta* l. c. De qua re etiam legendus Venerandus Senex *D. Simon Paulli*, Claſſ. 3. Quadrip. Botan. p. 229.

πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Dioſcoridi l. 11. c. 146. εὐκοίλιος eſt braſſica, ſi leviter frigefacta edatur. Cujus etiam decoctum potu alvum menſeſque ciet apud eundem *Dioſcoridem* l. c. Alvum ſuperiorem dejicere *Cato* de R. R. c. 157. refert. Et *Plinius* l. xx. c. 9. alvum leniter emollire. Neque improbanda in puerperis braſſica, quod laxet, cum ex re maximè ſit poſt partus labores alvum, aliàs ſegnem, irritare

tare ad excernenda excrementa tot mensium fastidiis cumulata, partim ut inflatio ventris, puerperis familiaris, avertatur, partim ut lochia promoveantur, & secundinarum reliquiæ, si quæ sint, expurgentur. *Hippocrat.* alibi l. de Nat. Mul. puerperii reliquias purgat Sambuci foliis affuso oleo coctis, & brassicâ coctâ. Sunt qui blandioribus his non contenti ad fortiora descendunt, si vires ferant, ad hieram, Agaricum, diagridium, quibus cautiores substituere malunt enemata vel suppositoria. Caute enim tractandæ exulceratæ partes, viribus à partu, præsertim laborioso & difficili, debilitatis, ne prorsus prosternantur. Diarrhœam tamen, si lochia parcius fluant, salutari eventu profuisse puerperæ, *Parens* Venerandus observavit. Prudenter verò Athenienses cum Amphidromia celebrabantur, hoc est, quinto puerperii die brassicam concesserunt, cum recentia essent uteri vulnera, & dolores reliqui

adhuc essent. Idque Veterum Medicorum authoritate. *Scribonius* enim *Largus* Comp. 121. ad mulieres quæ fluore sanguinolento infestantur, quod ῥοῦν ἐρυθρὸν Græci dicunt, vel ex partu abortuve, quæ residuos vulvæ dolores habent, & in totum quibus supprimendus est fluor, aut ex aliqua parte corporis inflatio tollenda, Compositionem commendat, cui brassicæ semina inter alia roborantia uterum admiscet, quam potionem etiam febricitantibus tutò dat, sed cœliacis in ipso dolore prodesse. Ad tormina brassicam aqua macerat *Cato* de R.R. c. 157. coquit & addit salem, cuminum, polentam & oleum. Ad ulcera maligna cum ab *Ægineta* l. VII. & *Galeno* l. VII. simpl. Fac. laudetur brassica, ad erysipelata, vulnera & tumores, quod in se quiddam absterforium habeat, commodum sanè primis puerperii diebus ad sanandas exulceratas partes adhibetur brassica, quam etiam externâ appositione foliorum inflamatio-

mationes, pustulas, vulneraque sanare vulgo notum. *Athenæus* κϱάμϐlω seu brassicam pro ῥαφάνῳ Ephippi substituit, quippe veteres Græci ῥάφανον καὶ κϱάμϐlω confuderunt, sicut ex *Phrynichio*, *Ammonio*, *Nicandri Scholiaste* demonstrat *Rhodius* noster multiscius in Lexico Scribon. Quam consuetudinem etiam recentiores retinuerunt, damnati *Galeno* l. 11. de Alim. Facult. c. 44. de brassica: *Qui falsam, inquit, doctrinam consectantur olus hoc* ῥάφανον *contendunt appellari, proinde ac si jam cum iis Athieniensibus, qui ante 600. fuerunt annos, nobis sermo esset, non cum Græcis, qui nunc sunt, quibus omnibus mos est in nulla alia planta brassicæ nomine uti.* Ex Eubulo iidem versus citantur *Athenæo* l. 11. servata quoque raphani voce, & brassicæ ab Interprete. In eo tamen differt Eubolus ab Ephippo, quod ille ῥάφανον vocet ἠγλαϊσμϐlω, brassicam splendentem, hic ἠγκαλισμένlω in fasciculos collectam. Quæ facile à scribis po-

 terant

terant confundi, nisi utramque nomenclaturam brassicæ convenire dicamus, ut & splendida sit & in fasciculos compacta, ut melius coqueretur. Eubolo tamen favet brassicæ splendor quo in lævibus foliis nitet, & veterum superstitio, qui pro sacra herba habuerunt. *Nicandro* divina crambe dicitur, per quam jurasse, imo quam adorasse ex Ananio & Hipponacteo apud *Athenæum* l. IX. liquet. Quocunque modo ista accipiantur, oleo brassicam incoquebant Athenienses, propter easdem indicationes, ut vel brassicæ laxandi vim augerent, cui substituit *Dioscorides* l. II. c. 146. succum crudum brassicæ cum iride ac nitro devoratum, sed *Ægineta* l. I. c. 74. oleo garum aut salem jungit, ut magis subducat; vel vulneratas partes demulcerent, vel denique ut ferculum gratius redderent. Oleo enim cibos coquebant, sicut adhuc Itali cæteræque nationes, quæ oleo recenti suavique abundant. Vel oleo con-

diebant.

diebant. Hinc *Persius* Sat. VI.

— nunc nunc impensius unge,
Unge puer caules. —

Cujus loco lardum etiam adhibebant, quod innuit *Horatius* Satyr. VI. l. II.

O quando faba Pythagoræ cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo.

Cui oleo Septentrionales butyrum domesticum substituunt; Quod oleum à lacte veteres appellavisse annotat *Fort. Plempius* de Valet. Tuend. c. IV. nulla parte bonitatis oleo cedens, sicut in Batavia Αὐταρκεία probat *Jo. Beverovicius*, & *Parens* in Medicina Inquilina; quibus favet *Gasp. Hofmannus*, Germaniæ immortale decus, qui in Hist. Oleæ & II. de Med. Offici. c. 164. affirmat oleum nihil substantiale inferre ad alimentum, sed adjuvare tantum concoctionem frigidorum ciborum, quibus frequenter additur, ideoque Germanos hoc condimento carere posse si rectè utantur

butyro suo, quod familiare est carnibus quibus ferè vescimur præ Italis olitoriis. Proprio exemplo rem confirmat *Hofmannus* magnus, cum enim Patavii initio Quadragesimæ edisset pisces frigidos in oleo frixos, sensisse se per totum decennium ructus nidorosos. De quibus & conquerentes alios audire est ex Italia reduces. Sed, nisi fallor, olea recentia minori incommodo, quia suaviora stomacho offeruntur, cibisque admiscentur, quàm rancida, qualia non raro in diversoriis eliguntur, cum ista recentia, tàm cibis nostris, si id moris apud nos esset, & haberi semper possent, appropriata sint quàm vina peregrina, aliaque aromata exotica, quibus carnes in culinis nostris coquuntur. Præterea notandum pro Italis ex 2. *Aphor*. 50. consueta longo tempore etiamsi deteriora sint, insuetis minus molesta solere esse.

EXER-

Exercitatio VI.

De

FUMANA HERBA,

Cum D. Arnoldi Syen *ejusdem argumenti Epistola.*

HAud æquus Floræ viderer, si in hoc decursu latè parturientes ejusdem divitias alto involverem silentio. Non desunt exempla veterum, quorum ad suam quisque plantam summo studio latus. Accepimus quod laudaverit Erasistratus Lysimachiam; Bulbos Pythagoras; Diocles Rapam; Urticam Phanias; Cato Brassicam. Ego Majores, quanquam impari gressu, secutus, facilem me habiturum veniam spero, si paulatim per susceptum progressus argumentum, à tenebris vindicavero, quæ vel latent vel obscuriora sunt. Nimirum *Io. Rhodius* Danus, Vir Polyhistor & in omni humanioris scientiæ genere consummatæ Eruditionis, qui per triginta & amplius annos Patavii vixit, possedit Manuscri-

ptum quoddam *Francisc. Ariosti Peregrini* de oleo Monzibii ad Borsium Ducem Regii & Mutinæ, &c. MS. An. cIↃ CCCCLXIV. in quo auctor meminit herbæ cujusdam, Fumanæ nomine, in monte illo Zibio enatæ. *Rhodius*, ut erat omnis antiquitatis totiusque naturæ indagator sagacissimus, motus ignotæ Botanicis plantæ & nomine & descriptione, ad Celeberrimos sui temporis Botanicos provocavit, brevem plantæ ex *Ariosto* descriptionem cum icone typis traditam ad singulos misit, ut singulorum judicia exerceret. Cum ego jam MS. hoc, quod *Rhodii* olim fuit, dono *Parentis* possideam, libet in illam *Ariosti* descriptionem & aliorum à memorato *Rhodio* consultorum sententias, quas inter reculas Ejusdem obiter notatas reperi, paullo accuratius inquirere, & singula Eruditis exhibere, omnibus æquum de illis relicturus judicium. Hæc itaque verba *Ariosti* in MS. de Olei Monzibinii ortu, situ,

vi, &c. ad descriptionem Fumanæ nostræ pertinentia, & olim Patavii à *Rhodio* foliolo unico publicata huc afferam, ut de singulis quid veri habeamus constet: *Illud autem*, inquit, *non te lateat, Sapientissime Princeps, quo ad umbilicum rimata omnia esse intelligas, quæ ad rem attinent, Rupem hanc, de qua fons hic sacer oleum manat, neque herbam, neque arbustum, neque arborem ullam, ad sagittæ jactum supra circaque se emittere: sed ibi tum demum raras admodum juniperos, raras myricas, vepresque raros, & perraras sese offerre ulmos: Verumtamen herba quædam, cujus generis nunquam me vidisse memini, de ingenio ad declivi rupis initium subcrescit: quam etiam incolæ* Fumanam *vocant: Hæc Hortulano tithymalo ferè similis est: nî quod illud simplici, hæc autem ramoso subrufoque sese erigit fuste florem pariens chamomillæ flori parum dissimilem; nî quod illud intumens, quale in chamomillæ flore albis foliolis uti corolla pulcherri-*
mè

mè cingitur, hîc detumet, & ad folliculi similitudinem defoſſum eſt, quaſi eo ſeu ſiliqua recluſum ſemen foveatur. Ac veluti nullum odorem ſpirat, ita & vanum & inſipidum ſaporem deguſtantibus præbet, ac ſi fatua eſſet materia, quæ in tam ſterili loco, & ſubpallido rupis vertice, unde ingens ad fontem præcipitium derivatur, naturali neſcio quo fato oboriatur. Addidit & *Rhodius* hujus Fumanæ icona, quam hîc adjungere, ad meliorem rei cognitionem, haud gravabor, dummodo Lectorem non pigebit vidiſſe eam, quæ cum viva plantæ imagine certat:

Ego ſingula luculentius aſſequi ſtatui. Credo Zibinii montis nomen Scriptorum veterum aut Geographorum nulli innotuiſſe. Deſcribit ita prædictus auctor noſter, ex cujus MS. hæc delibabimus: *Inter montana oppida, quæ Mutinenſi in agro ſita ſunt Monzibius eſt. Idque non quidem vulgare. Nam felici admodum inſidet promontorio: tum cœli benignitate, tum fœcun-*



fœcunditate glebæ, tum autem vini præstantiâ ficusve, atque oleæ. Quarum copia utique in immensum claret. Montenzibibum priscos ob uvæ elegantiam quondam vocitasse ferunt. Inde vero syncopari concinnius visum est. Recentiores passim meminere in olei hujus descriptione, sed diversa nomenclatura. *Amat. Lusitan.* in Dioscor. l. 1. Enarr. 91. cum *Ariosto* planè consentit, tantummodo montem Zilium vocat, inquiens: Naphtha, oleum quod ex petra vel terra erumpit, nascitur sub dominio Illustrissimi Ducis Ferrariæ in Mutinensi agro, præsertim in monte Zilio dicto. Paullo aliter *Fallopius* Zibbum nominat 11. de Ulcerib. c. 11: Oleum montis Zibbi & Naphtha alioquin, vocaturque vulgo oleum petroleum. Ab hoc discrepat *Bellonius* de Admirab. oper. Antiq. Præstantia lib. 111. cap. 5. apud quem mons hic Zibiti nomine venit: Naphthicum autem, inquit, oleum, quod circa montem Zibitum prorumpit,

13. à

13. à Mutina miliaribus ſive Modena diſtat. Diverſam adhuc etymologiam ſecutus *Solenander* de Calor. Font. Cauſa cap. 10. Bitumen, inquit, Medici vocant Naphtham vocabulo Babylonico. Ruffo colore eſt, quod vidimus circa montem Gibium in agro Mutinenſi non procul à Saxolo vico. Ita etiam ferè *Agricola* de Natur. eorum quæ effl. è terr. l. 1: Bitumen liquidum candidum, præcipuum Naphthæ genus effluit in agro Mutinenſi ex monte, quem Gibbium vocant. De qûibus & aliis major forſan alibi loquendi dabitur occaſio. Interim quicquid in nomine hoc ludant diverſæ auctorum ſententiæ, certum eſt oleum hoc in monte colligi, qui xv. mil. Bononiâ diſtare dicitur, ſub Marchionatu Vignola, vulgo Ital. *oglio di pozzi nuovi*, quia Monszibii commune eſt quod paret Saſſolo xv. mil. Mutino diſtat, ex quo ſtirpem operâ *Vidberi* Bononiâ quondam habuit *Joh. Rhodius*. Nos miſſa hac de montis nomine

mine controverſia ipſam Fumanam intuebimur. Quod de hac rupe prodit *Arioſtus* nullam ibi ad ſagittæ jactum vel herbam germinare, vel arborem aſſurgere, forſan quia ut *Plutarchus* de placit. Philoſ. lib. 1. cap. 3. omnes ſtirpes humido aluntur, idque ſuæ fœcunditatis cauſam habent, eoque deſtitutæ exareſcunt; hoc cum lacu bituminoſo Judææ commune habet, in quo ſtirpem nullam naſci author eſt *Galenus* lib. IV. cap. 20. Simpl. Sed quod ad herbam quam ibi reperiri ſolam Fumanæ nomine deſcribit, nulli Botanicorum hoc nomine innotuiſſe certum eſt; Nec enim à nominis quadam ſimilitudine ad Fumarias referenda. Notum eſt quod *Fumana* Italico idiomate vel fumum ingentem, vel denotet fluvium. Quanquam utriuſque notio herbæ loco natali quodammodo competeret, magis tamen in priorem inclinandum cenſeo. Quo ſenſu *Claudianus* Fumantia paſcua accepiſſe videtur

detur Eidyll. VI. de Apono Fonte:

Humida flammarum Regio Vulcania terræ
Ubera, sulphureæ fervida regna plagæ.
Quis sterilem non credat humum? Fumantia vernant
Pascua: luxuriat gramine cocta silex:
Et cum sic frigidæ cautes fervore liquescant
Contentis audax ignibus herba viret.

Quæ quidem apprimè Fumanæ nostræ conveniunt, unde verisimile videri posset; incolas hac tracta similitudine Fumanæ nomen indidisse, quippe quæ in terra atra ad fontis labra nascitur in monte Zibio. *Aldrovandus* depinxit nomine Coridis fruticosæ, qui tres descripsit species; majorem & minorem fl. rubro & tertiam fl. luteo. Cæterum de hujus vera denominatione recte afferri possunt verba *Hippocratis* l. 1. de Vict. Rat.

πολλοὶ θαυμάζουσιν, ὀλίγοι γινώσκουσιν. Nec enim, ut egregiè *Galenus* I. de Usu part. hominibus credendum, quia auctoritatis pondus habent, sed quia rationum fulcrum adhibeant. Ab *Ariosto* ipso perhibetur Fumana Tithymalo ferè similis haberi ab Hortulano, nisi quod illud simplici, hæc autem ramoso subrufoque erigatur fuste. Sed ad examen recti judicii qui revocat, videbit alia quæ adhuc magnam inducere possunt differentiam. Quamvis Tithymali quandam speciem mentiri videatur, lactis tamen defectus & floris forma manifestè distinctionem faciunt. Nisi formâ æmulari credamus Tithymalum illum, quem *Dodonæus* Pempt. III. l. II. c. 12. à paralio seu maritimo parum abludentem, eidem subjungens, hortis increscere ait. *Hieron. Tragus* hortis vineisque innasci suum ordine tertium vult tithymalum; non tamen absque dubio, quin folia, quæ huic latiora, convenientiam cum nostro dissuadeant. Major

forsan

forſan debebitur aſſenſus *Carolo Stephani*, qui in ſuo, quod edidit, prædio ruſtico, ſeptem faciens tithymalorum mentionem, tertium κατ' ἐξοχὴν uno vocabulo tithymalum indigitat, quem ſurculis deſcribit rubentibus, palmum altis, quinis ſeniſve à radice exeuntibus, foliis lini anguſtis, parvis, oblongis, in ordinem digeſtis, &c. Conveniet itaque quodammodo hæc Tithymali ſpecies cum illa, cui ſimilem ab hortulano Fumanam noſtram fingi refert *Arioſtus*, niſi quod hæc ſimplici ab *Arioſto*, illa ramoſo fuſte à *Carolo Steph.* deſcribatur. Tithymalo Cypariſſio ſimilem literis Bononiâ ſcriptis ad *Jo. Rhodium* teſtatus eſt *Vidberus*. Forſan etiam fingi poteſt eſſe Erica Baccifera (quæ Myricæ ibi naſcenti affinis eſſe ſolet ex *Dioſcoride*) *Fallopii* indicio deſcripta à *Matthiolo* l. 1. c. 100. quæ *Tabernomontano* tenuifolia, licet haud æquè ad vivum depicta. Deinde, Fumanam floribus haud diſſimilem Chamomillæ in de-

ſcriptione ſupra adducta accepimus; quod quo jure factum non video, cum nemini ignotum credam chamomillæ diſcum illum orbicularem medium, corollæ inſtar foliorum candicantium ſerie cinctum, intumeſcere, Fumanæ verò nec interiorem turgere peripheriam, nec in ſphæricam ſe attollere ſuperficiem, ſed potius ſubſidere (quod *detumere* dixit *Arioſtus*) & folliculum ſeminis propagationi dicatum non obſcurè promittere, figura indicat. Quocirca non ad coronatarum plantarum genus, in quo chamomilla, ſed potius ad quoddam vaſculoſarum pertinet, cum in floris centro, ceu ſiliqua, ſemen recluſum dicatur, quod ſecus in chamomilla, ubi apertum & liberum. Quæ fortaſſe ratio alios adduxit, ut Corin, vel ciſtum, vel Ericam, vel Helianthemum imaginati ſint. Quæſo quid cum chamomilla commune indicat flos Fumanæ depictus? Niſi Adonidem ſylveſtrem *Bauhini* huc, licet abſurdè, advocaveris,

veris, quem chamæmelum *Dodonæus* & *Gesnerus* cum *Tabernomontano* nominant. Quin & figura, quâ florem quinquifolium diversis sed propriis suis delineatum coloribus habeo, insignem & notabilem colorum varietate exhibet differentiam. Nisi accidere huic fingeremus, quod de Helleboro nigro roseo *Bauhini* novimus, quod juvenis adhuc flos lacteum indies in rubicundiorem mutet colorem, donec tabida ei senectus roseum adimat amictum, herbaceo illi inducto velo. Majori similitudine, dummodo florum conveniret facies, ad novam quandam bellidis vel chrysanthemi referenda esset speciem, quod cum flos pentaphyllus dissuadeat, tentabimus adhuc si probabiliori classi adscribi possit. Consuluit, ut dixi, quondam memoratus *Rhodius* sui temporis Botanicos summos, inter eos *Petrus Castellus* Messanâ scripsit sentire se legitimam esse Corin. Ille itaque ut plantam hanc in suam spe-

ciem ultimam resolvere possit, primum ad proprium suum genus relegat, plantarum omnia genera à seminis producendi modo, ut ab earum natura & specifica proprietate, distinguens in unisemina, bisemina, trisemina, quadrisem. ut & univascula, bivascula, trivascula, &c. Quocirca inter vasculosas collocans, Corin esse putat legitimam, persuasus hujus similitudine cum Coridis legitimæ planta, quam ex semine è Creta misso in Academico Messanensi horto quondam aluit; Eamque per omnia cum hujus Fumanæ & Icone & descriptione convenire credit. Et præterea quod coridis flos foliolis quinque constet, ut hypericon & congenera, totidem in picta plantæ effigie spectentur. Tandem etiam contendit in floris corde vasculi speciem demonstrare, hyperici, androsemi & coridis proprium esse, quemadmodum & in icone Fumanæ vasculum seminale apparet, veluti etiam depingit Cori-

Coridem *Pona.* Habere hoc quidem ſpeciem veri, confirmat Fumanæ, quam poſſideo, delineatio, nativis expreſſa coloribus, quæ cum Coridis icone à *Joh. Pona* in ſuo monte Baldo poſita, & ab *Honorio Bello* Epiſt. 1. ad *Cluſium* deſcripta, collata, quodammodo ſimilis videtur. Et fortaſſe putaverit corin luteam *Bauhin.* Pin. lib. VII. ſ. 5. p. 280. Cæterum vaſcula invicem collata aliquid pariunt diverſitatis; Capſula enim rotunda, qualis convolvulis & aliis ineſt, cui foliola, florem prius erumpentem circumveſtientia, ceu pelliculæ ſubjacent, multum à vaſculis Hyperici, Androſæmi, Coridis variat; quin noſtram hanc univaſculorum potius, quàm multivaſculorum ſpeciem figura poſſit indigitare. Quamvis conſentiret quidem foliorum ſimilitudo. Ericæ folio deſcribitur Coris *Dioſcoridi* lib. III. cap. ſecundùm *Saracen.* 174. at *Ruell.* 149. Κόρις, inquit, ὃν δὲ καὶ τοῦτο ὑπερικὸν καλοῦσι, φύλλον ἔχει παραπλήσιον τῷ τῆς ἐρείκης, μη-

μικρότερον δὲ καὶ λιπαρώτερον καὶ ἐρυθρόν. θάμνος δ' ἐστὶ σπιθαμαῖος, εὔστομος, δριμὺς καὶ εὐώδης. id est; *Coris, quam aliqui etiam Hypericum appellant, frutex est folio ericæ, sed minore, pinguiore & rubente, dodrantalis, ori gratus, acris & odoratus.* Cæterum folio hîc describitur rubente, quod ex *Plinio* l. XXVI. c. 8. illustrat *Saracenus*, ubi non, ut in vulg. Codicibus, legend. *minus rubentibus*. Præterea hæc gustu & odore commendatur, cùm tamen nullus utriusque ab *Ariosto* Fumanæ nostræ tribuatur. *Plinius* l. XXVI. c. 8. foliis Tamaricis, quæ cum Myrica eadem, similem scribit deceptus similitudine vocum ἐρείκης καὶ μυρίκης. Quandoquidem *Dioscorides* utriusque convenientiam deprædicet, lib. I. cap. 117. secundùm *Saracenum*, C. 100. edit. *Ruell.* C. 102. *Bagolin.* Ἐρείκη δένδρον ἐστὶ θαμνῶδες, ὅμοιον μυρίκῃ, μικρότερον δὲ πολλῷ. id est, *Erica arbor est fruticosa, Myricæ similis, at longè minor.* Apud *C. Bauhin.* Pinac. l. VII. sect. 5 p. 279.

coris

coris etiam extat folio Tamaricis. Ipse noster *Ariostus* myricas etiam in Monzibio nasci tradit, sed perraras.

Fumanam non quidem Corin, sed Corydalem esse, *Schipani* fuisse sententiam *Jo. Rhodio* Neapoli quondam significavit *M. Aurelius Severinus*, vel formam ejus ad Genistellas accedere, quod me judice minus obtineri posset, quippe cum manifestè videatur siliquarum in descripta Fumana defectus. Persuasi sunt alii, esse hanc nostram Pseudo-Panax Chironium. Num Panaces Chironium, quod *Matthiolus* apud *Dodonæum* Halianthemum vocat? de quo *Dioscorides* l. III. c. 57. *Saracen.* c. 183. *Bagol.* Πανάκες, inquit, Χειρώνιον φύεται μάλιστα ἐν τῷ Πηλείῳ ὄρει. Φύλλα δὲ ἔχει ἀμαράκῳ ἐμφερῆ, ἄνθη χρυσοειδῆ, ῥίζαν λεπτὴν, καὶ οὐ βαθεῖαν γευομένῳ δὲ δριμεῖαν. id est, *Panaces Chironium in Pelio monte maxime provenit: foliis est amaraco similibus, floribus aureis, radice tenui neque alta, gustu acri.* Convenientiam forsan quan-

dam cum nostra Fumana locus natalis suaderet, cum utraque montes amet. Sed gustus hujus acris, nullus Fumanæ, quamvis radix tenuis & alta haud multum à figura radicis data discreparet. Hæc Panacis radix purgat sordida ulcera *Scribon. Largo* Comp. 237. Quo fortasse respectu, cum cistus auctore *Dioscoride* l. 1. c. 126. *παλαιὰ ἕλκη ἰᾶται*, *vetustis ulceribus medetur*, ejusque flores νομὰς ἐφίστησι, *nomas cohibent*, quondam *D. Renatus Moræus*, cum Botanicis Gallis nonnullis aliis, Cistum voluit esse lini folio: quod Fumana planta sit lignosa, flores habeat plane cisti, folia pænè lini, & cum cisto per omnia belle conveniat. Et sanè convenit quodammodo cum cisti descriptione apud *Dioscoridem* l. 1. c. 126. Κίστος, ὃν ἔνιοι κίσθαρον ἢ κίσσαρον καλοῦσι, θάμνος ἐστὶν ἐν πετρώδεσι τόποις φυόμενος, πολύκλαδος, φυλλώδης [ξυλώδης aliis] οὐχ ὑψηλὸς, φύλλα ἔχων περιφερῆ, μέλανα, δασέα: id est, *Cistus, quem nonnulli cistharon aut cissaron vocant, frutex*

tex est petrosis locis nascens, multos emittens ramulos, foliosus, improcerus, foliis rotundis, nigris, hirsutis. Cæterum folia toto diversa sunt cœlo, ad quorum forsan differentiam Cistum lini folio dixit, sed quo auctore non video. Si omnino ad cisti speciem traheretur, rectius fortasse diceretur Cistus fol. stœch. citr. de quo *Bauhin.* Pin. l. 11. s. 2. n. 7. aut Cistus Ledum fol. rorismar. non incanis, de quo Id. ib. n. 13. aut Cistus humilis angustifolius *Lobel.* qui eidem Erica Chrysanthemus minor. Helianthemum fol. Coridis censuêre alii, forte intellexêre ii Coridem *Dioscoridis*, *Guilandino* vocatam, quo nomine frater *C. Bauhini* ex Italia attulit. Helianthemum vero *Lobel.* flor. luteo idem est cum chamæcisto, unde *Jul. Jungermannus* putavit Fumanam esse Chamæcistum saturejæ foliis, & quadrare ferme cum Chamæcisto IV. *Clusii.* A quo in quantum hæc folia ericæ foliis conveniunt, nihil dissentire videtur *Joh. Volkamerus*,

rus, qui manifestè statuit esse Chamæcistum ericæ folio luteum *Bauhin.* quem longioribus foliis describit in Pinac. lib. XII. sect. 2. p. 466. Illum quippe, quod & confitetur *Bauhin.* nunc majorem nunc minorem, editis non solùm Galliæ & Italiæ, sed & Germaniæ montium rupibus adnascentem se vidisse literis Norinbergâ ad *Io. Rhodium* datis testatus est, non absimili à Fumana effigie, ligneo, ruffo, ramosoque caule, qui foliolis tithymalum æmulantibus sine ordine illum circumambientibus trigonum tandem emittit caput, cuticulâ pallidè virescente, viridibusque intertextâ venulis obductum; Quod, dum se explicuerit, foliola quinque suaviter lutea pandit, floris ornamenta, quibus fatiscentibus vasculum trigonale succedit, quod seminibus ad maturitatem perductis viam pro exitu sternit, dum sponte ruptum in tres se vertat partes, seminaque tandem in humum excutiat. Cæterum si Fumana nostra

He-

Helianthemum esset, florem etiam ejusdem, nempe facile deciduum, haberet. Id enim Flori Solis proprium, quem apud *Dodonæum* Pempt. II. l. I. c. 31. *Val. Cordus* Helianthemum vocat. Serpit etiam humi Helianthemum, unde chamæcisti nomen; in altum assurgit dubia nostra planta. Quamvis non ita diversus utriusque natalis locus *Plinio* teste l. XXIV. c. 17. Helianthe nascitur in Temiscyra regione & Ciliciæ montibus provenit maritimis, folio Myrti.

His omnibus expensis, cum adhuc aqua mihi hæreret, rem omnem detuli ad Dn. *D. Arnold. Syen*, Lugdunensium præsenti tempore Rectorem Magnificum, ingens Floræ columen & rarum decus, mihi non uno nomine propter prolixam suam humanitatem notum. Forte, quæ in reculis *Rhodii* latebat, Fumanæ plantam exsiccatam, nec tanto temporis tractu injuriæ quicquam passam, judicio ipsius obtuli cum annexa descri-

ptione

ptione ut rem æqua lance penſitaret, quò dubiis noſtris lucem à tanto Viro mutuarer. Nec ſpem meam fefellit oraculum incluti Viri. Solidam ejus & exquiſitam de noſtra Fumana ſententiam publico non invidebo, ut eam mihi hic Lugduni Batav. anni currentis die 24 Julii ſcripto tradidit ipſe:

„ Ut paucis meam de Fumana ve-
„ ſtra, Doctiſſime *Bartholine*, poſt
„ tot inſignium Botanicorum opi-
„ niones,proferam ſententiam:quan-
„ tum quidem ex ſiccata planta, &
„ per negotia colligere datum, val-
„ de mihi arridet illorum opinio,
„ qui eam ad Ciſti ſpeciem referen-
„ dam cenſent; quin & revera ejus
„ eſſe ſobolem, & ad nullam aliam
„ plantarum familiam pertinere, me-
„ cum ut opinor fatebuntur omnes,
„ qui ejus partes, & præſertim ſemen
„ diligentius examinaverint. Cum
„ enim unicum ejus granulum in ca-
„ pſula plantæ ſiccatæ reperiſſem, &
variis

variis modis, etiam microſcopii o- „
pe obſervaſſem; inveni quod in „
omnibus, cum reliquis ciſti ſpecie- „
bus probè conveniat, eorumque „
notam eſſentialem & genericam „
poſſideat: Cumque omnes omni- „
no plantæ non à reliquis acciden- „
tibus, ſed duntaxat à flore & ſemi- „
ne, ſint denominandæ & diſtin- „
guendæ, [uti pluribus Clariſſimus „
D. *Moriſſonus* in præludiis Botani- „
cis & alibi demonſtravit] hinc ap- „
prime liquet nihil aliud eſſe quam „
verum & genuinum ciſtum. Qua- „
lis autem ſit Ciſti ſpecies, & an jam „
ante à Botanicis ſit tradita nec ne, „
in eo major videtur hærere difficul- „
tas. Mihi certè ut verum fatear, „
Caſpari Bauhini Pinacem pervol- „
venti, mox arridebat ipſius Cha- „
mæciſtus Ericæ folio luteus, ſive „
XII. & ultimus. Cori ſimillimus „
frutex in maritimis *Cæſalpini*, & „
Erica Cryſanthemos *Lugdunen-* „
ſium. Verum authores hos poſt- „

„ quam

„ quam diligentius consuluissem, &
„ utriusque descriptionem examinas-
„ sem, hærebam anxius; & senten-
„ tiam pronuntiare non eram ausus.
„ Obstabat nempe inter cætera,
„ quod *Cæsalpinus* acerbum, *Lugdu-*
„ *nenses* adstringentem, *Ariostus* au-
„ tem insipidum ipsi præberet sapo-
„ rem; & quod priorum neuter satis
„ accuratè hujus plantæ attributa ex-
„ poneret. Contuli igitur me ad Bo-
„ tanicorum Coryphæum *Iohannem*
„ *Bauhinum*, eruditam ejus histo-
„ riam [uti passim soleo in dubiis]
„ consulturus: Nec meam fefellit ex-
„ spectationem, cum nullus dubi-
„ tem, quin vestra Fumana, sit ipsius
„ *Helianthemum tenuifolium glabrum*
„ *luteo flore*, cujus figuram & histo-
„ riam exhibet Tomi secundi histo-
„ riæ universalis pag. 28. Convenit
„ enim cùm figura, tum descriptio,
„ quoad folia, flores, vascula, &
„ semen: præsertimque quoad istas
„ scutellas triquetras, semine matu-

ro &

ro & elapso conspicuas; ut & sapo- ,,
rem, quem nullum manifestum ob- ,,
tinere cum *Ariosto* affirmat. Uni- ,,
cum tantum obstare videtur, quod ,,
Bauhinus nempe folia dicat non ex ,,
opposito nasci, sed alternatim ra- ,,
mos ambire & conscendere, cujus ,,
contrarium videtur ex parte osten- ,,
dere ramuli siccati quædam pars: ,,
Verum cum ex ipsa *Bauhini* figura ,,
liqueat, ipsum inconsiderantius ,,
hæc observasse, & quod passim i- ,,
dem non conspiciatur, haud ita ,,
magni videtur facienda hæc diffi- ,,
cultas. Eandem autem statuit di- ,,
ctus autor cum Chamæcisto Ericæ ,,
folio luteo fratris *Casp. Bauhini* jam ,,
memorato, cum ego potius credi- ,,
derim aut diversas esse plantas, aut ,,
pro solis & soli mutatione non pa- ,,
rum mutatas. ,,

Hactenus Vir in his sacris versatissimus mihi mentem suam circa hanc nostram dubiam Fumanam candidè communicavit. Quæ singula tam con-

cinnè dicta aptè & perbellè conveniunt ejus & descriptioni & delineationi, ut ovum ovo non videatur similius. Nos qui nobis propriam quandam legem diximus, in omni scientia amplecti quæ probabiliora, hoc succinctum non sine ratione exosculamur judicium & eodem faciles acquiescimus. Non ita tamen ut aliis intercludamus viam ulterius hanc Spartam adornandi, maturiori judicio corrigendo ea, de quibus vel liberius judicavero vel rei veritati parum æquus visus fuero. Interim

Moniti meliora sequemur.

EXER-

EXERCITATIO VII.
DE
LIQUORIS STYPTICI INTERNO USU,

Cum experimentis Fr. Redi *circa usum externum.*

HAfniæ iterata experientia coram Auguſtiſſimo Rege & Domino noſtro Clementiſſimo in Aula Regia, & coram Illuſtriſſimo Regis Chriſtianiſſimi Legato Equite *Terlon* in præſentia Medicorum & Chirurgorum Hafnienſium in canibus, quibus femur amputatum fuerat liquoris ſtyptici veritas virtuſque nobis innotuit, qui ex Gallia pro ſecreto infallibili allatus fuit; dictum enim factum applicatô liquore ſtypticô profluenti ex vulnere ſanguini pars læſa cuticulam contraxit ſemihoræ momento, & à cruentatione deſtitit, ſicut hæc in *Actis Hafnienſibus* fuſius à *Parente* deſcribuntur. Externus autem uſus tantum probatus fuit, quanquam fi-

dem faciat *Boudetus* in programmate suo Gallico quod etiam innoxie bibi possit: *Ceux*, inquit, *qui la sçavent à fonds & d'original, la boivent comme de l'eau commune, en font l'essay sur leurs personnes; ce que les Copistes ou Contrefaiseurs de cette eau n'oseroient jamais entreprendre.* H. e. Illi qui ex fundamento & origine norunt, bibunt instar aquæ communis, & in proprio subjecto faciunt ejus rei periculum, id quod nunquam ausint tentare illi qui ejus compositionem imitantur. Nos, quia nullo evidenti experimento usus internus adhuc demonstratus fuit, dubitandi causas promemus, donec experientia rem determinaverit, inprimis cum liquoris materiam sibi occultam, nec nisi magno à Regibus Terrarumque Dominis soluto pretio, cognitum servet possessor. Non voco ipsius assertionem in dubium, qui in priori externoque usu promissis stetit. Et novissimè ulteriori firmatum experientia, cum

cum nuper in *Actis Hafnienſibus* teſtetur *Parens* ſe adfuiſſe ſectioni mammę cancroſæ mulieris cujuſdam, quæ integram libram pependit, & ſolâ hac aquâ hæmorrhagia inhibita. Cæterum in uſu interno, an tutò adhiberi poſſit majoris eſt indaginis. Vomitus quidem ſanguinis eo liquore forſan compeſci poſſet. Me enim judice facile liquor ille ſtypticus per œſophagi patentem canalem deglutitus aſtringit vaſa dilatata in ventriculo, quando opus eſt adſtrictione, quæ ſemper tuta non eſt, cum motum naturæ impedire interdum non liceat. Si tamen modum excedat magno virium periculo, ex 7. *Aph.* 37. curatio ſanguinis vomitus perficitur refrigerandi & adſtringendi vim habentibus. In hac aqua guſtu ſtypticam frigidamque facultatem deprehendimus, vitriolo tam ſimilem, quam ovum ovo, ex quo crudo compoſitam, vero valde fit ſimile; cujus in ſiſtendo ſanguine efficaciam in pulvere ſympathetico

experti sumus. Cæterum an in sputo sanguinis, ex pulmonum vasis dilatatis vel erosis orto, promptum tutumque sit stypticum, ignoro, quia tardius per ambages viarum illuc perveniet, & in transitu aliis visceribus noceret; sin guttatim per rimulam laryngis & asperam arteriam dilabatur, parum proderit. Et quanquam integra copiosaque descendere posset, plus nimium adstringeret vasa pneumonica raramque pulmonum substantiam, quæ adstrictionem multam non fert; vel per venam arteriosam penetrans ad cor, obstrueret vitale viscus, motu necessario impedito. Nos cauti sumus territi exemplo ab *Hechstettero* Decad. 3. Observ. Medic. c. 5. allato filiorum quorundam mercatoris, qui per noctem radicem symphyti majoris infuderant in vino Malvatico, ac mane radice exempta rustico obtulerunt, qui sumto poculo hausit id affatim, & cum paulo post sibi præcludi fauces sentiret, ac maxima difficultate
deglu-

deglutiret, heriles filios de veneno exhibito accusavit. Nimirum hanc vim symphyti adstrictoriam vidit olim *Dioscorides*, qui lib. IV. cap. 9. & 10. author est exhiberi sanguinem rejicientibus, atque decoctum bibi ad dysenteriam rubentemque fluorem muliebrem. Addit ibidem vis constringentis argumentum memorabile, affirmans radicem utriusque symphyti impositam, non recentia solum carnium vulnera glutinare, verum etiam frusta carnium quibuscum coquitur ita cogere, ut coalescant. Quod quamvis alii hodieque difficile credant, ipse tamen hujus experimenti oculatus sum testis, apud Consobrinum dilectissimum *Oligerum Jacobæum*, qui hæc naturæ sacra haud infeliciter rimatur. Incoctam enim aquę rasam symphyti majoris radicem agglutinatam vidi lateribus carnis, quæ in unum coagmentata. Si in aqua hac styptica non fallit gustus, vitriolumque crudum basin esse dicamus,

periculum videtur, ne vomitum concitando hæmoptoicos offendat augeatque sanguinis fluxum. Prudens est monitum *Jo. Hartmanni* Not. ad Crollii Basilicam Chymicam p. m. 24. in exhibitione Vitriolatorum, cavendum ab asthmate, aliisque pectoris affectibus. Vitriolum quippe crudum venenum esse, quia asthma procreat, & suffocando necat. In errhino vix pennam tinctam vitriolo aqua soluto, naribus indere audemus, quod experimentum Cl. *Wedelius* candide aperuit in Ephemerid. German. Anni Tertii p. 19. utinam alii pari candore arcana sua revelarent, spretoque lucro, sine invidia publico bono communicarent, quæ novisse communis salutis interest. Sic rectius de his judicaremus, quæ in tenebris palpamus. Eleganter *Quintilianus* l. v. Institut. Orat. c. 10: Quod non ratione scrutabimur, non poterimus invenire nisi casu. Si vis emetica & noxia crudo vitriolo aqua dissoluto adimi queat,
jam

jam de interno uſu erimus ſecuriores. Sed dubia omnia dirimet experientia. Bonus enim magiſter experientia. Opus verò eſt, conſilio *Cælii Aureliani* l. 1. Acut. Morb. c. 2. & ipſum periculum facere. Imperitia namque timoris & cautionis cauſa. Exhibuit Hafniæ hæmoptoicæ fœminæ hanc aquam *Philippus Hacquart* Chirurgus Regius, quæ primo quidem faſſa eſt, levamen ſe inde percepiſſe, deinde verò nihil profuiſſe, ſed alia auxilia quæſiviſſe. Audivi cum Hamburgi eſſem probatam fuiſſe aquam ſtypticam in Nobiliſſimo quodam Heroë, cui ſub brachio ſiniſtro arteria gladio transfixa & ingentem copiam ſanguinis eructans ſedata eſt hujus liquoris non ſolo uſu externo, verum etiam, ut mihi relatum eſt, ſimul cochlear unicum ipſi à Medico propinatum eſt, de cujus veritate mihi liquidò nondum conſtat. Diffidere tamen nonnihil huic liquori ſtyptico poſſemus, quia fertur inter in-

gredientia venenum quoque quoddam numerari. Sanè deprehendi liquorem hunc ſanguini injectum eundem coagulare; non ſecus ac ſpiritum Vitrioli vel acetum, quibus immiſſis congelatur ſanguis, quemadmodum alumine fœdiſſimus redditur & ſpiritu ſalis armoniaci naturali colore exſurgit, quia ſale volatili aſperſus non facile corrumpitur. Quas etiam vices bilem ſubire experimento conſtat, cum tamen illa è contrario in maſſam fœtidam coaguletur cum oleo Tartari & in Spiritu acido intenſe virideſcat. Notat quoque *Th. Willis* Pharmaceut. Ration. ſect. IV. c. I. eoſdem liquores quæ lac præcipitant, ut acetum deſtillatum, Spir. Vitrioli, ſalis, aut nitri dilutum, alioſque acidos etiam ſanguini calenti affuſos iſtum mox coagulare & diſcolorare ita, ut cum tota maſſa ſanguinea ſtatim nigreſcat, portio una in placentam grumoſam, atque altera in ſerum tenue & aquoſum abeat. Non deſunt tamen, qui liquo-

liquorem hunc, cujus tanquam ſecreti cujuſdam confectio paucis hactenus innotuit, imitentur, nec infeliciter. Nuperrimè Hafniæ *Jo. Gothofredus Becher*, Pharmacopœus ibi curioſus, aquam ſimilem ſtypticam confecit ex vitriolo martis & alumine, non diſpari li effectu, ſuper quam rem pluribus *Acta Hafnienſia* conſuli poſſunt. In Sileſia *D. Henricum Martinium* jactare ſe ſimillimum inveniſſe liquorem, & *D. Sachſium* Hamburgum ex Anglia reducem affirmare, ſe hoc, quod circumfertur, ſecretum noſſe, mihi Lugdunum nuper ſcripſit Eruditiſſimus *D. Michaël Kirſtenius*, amicus ſummus. Qui pro innata ſua humanitate mihi inſuper communicavit de Aquâ noſtrâ ſtypticâ experimentorũ quorundam momenta ſumma, quæ à *Franc. Redi* in Italia coram Sereniſſimo Magno Etruriæ Duce facta. Quanquam ibi, neſcio quo fato, minus ſucceſſiſſe aquam hanc ſtypticam videmus, ſed aquam etiam puram fon-

fontanam paria fecisse. Illa itaque ut à Cl. *D. Fogelio*, cui Florentiâ missa erant, accepta & Latinè reddita ad me Hamburgo perscripsit die 7. Augusti Anni currentis laudatus *Kirstenius*, non gravabor hîc transcribere; & per compendium Lectoribus curiosis eorum summam proponere:

Exhibitum est vasculum, plenum aqua clara limpida, quæ sistit omnem sanguinem ex quocunque loco profluentem, modo tam subito & certo ut nulla opus sit fascia: sufficiat tantum madefacere, aut imponere gossypium aut pulvillum ex panno lineo, aqua madefactum.

Et relatum est etiam ita canem sanatum, cui vena jugularis cum arteria fuit præcisa; & duos vitulos, quorum uni crus abscissum, atque mulierem, cui mamma resecta, denique viros duos, quibus crura amputata.

Franciscus Redi, jussu M. Ducis experimenta fecit, quæ tamen exspectationi non respondebant.

Anno

Anno 1673. d. 10. m. Julii & seqq.

Ovi detecta est vena, cum arteria, jugularis, sine læsione musculorum aut nervorum. Deinde arteria cum vena plane dissecta per transversum, & statim applicitum gossypium, madefactum liquore, & superimpositus pulvillus eodem humidus. Sed sanguis erupit tanto impetu, ut, licet gossypium & pulvillus manibus firmiter tenerentur & apprimerentur loco sauciato, nullo modo sisti potuerit, ovisque sit mortua intra quadrantem horæ.

Idem evenit cani, cui præcisa erat arteria jugularis, sine læsione venæ.

D. XI. Julii. Rursus arteria jugularis detecta & separata est in ove, eaque phlebotomo secta per longum, eo modo quo aperiuntur à quibusdam venæ. Non permissum est exire sanguini, quoniam arteria digitis compressa tenebatur. Statimque applicitum gossypium, & pulvillus liquore madidus, per

per quadrantem horæ. Nihil exiit ſanguinis. Hinc ligatum eſt vulnus faſciis, oviſque dimiſſa. Verum poſt alterum horæ quadrantem, cum violento curſu ovis fatigata eſſet, & in ſepem incidiſſet, faſcia à collo decidit, & ſanguinis copia profluxit, ut mortua ſit.

D. eod. Iterum ovi jugularis arteria, & alii vena eo modo aperta eſt obligataque ut ante. Nihil ſanguinis exiit. Dimiſſæ oves ad paſcendum ita durarunt ſpatio hor. 41. Poſt id tempus vulnus arteriæ inciſæ detectum eſt, & ſubito erumpente ſanguine animal mortuum eſt. Idem alteri, cui vena ſecta, evenit. Conſpectumque eſt, venam nullo modo conſolidatam.

D. xv. Julii. Tres oves captæ, quibus arteriæ jugulares detectæ. Unius arteria diſſecta per tranſverſum, digitis comprehenſa, ut nihil ſanguinis emanaret. Aqua vulnus rigatum & digitis conſtrictum, per 10. minuta temporis. Retractis digitis ſtatim ſanguis

guis exiit. Reditum eſt ad madefa-ctionem & compreſſionem eam per 10. minuta alia, retractiſque digitis ſimiliter ſecuta hæmorrhagia. Ergo rurſus irrigato vulnere & ſuperimpoſito pulvillo, manu compreſſum eſt ſpatio 20. minutorum. Quo tempore cum exiiſſent ſanguinis unciæ quinque vel ſex, tandem ille conſtitit. Obligatâque plagâ, ovis dimiſſa ſtatim cœpit comedere. Eodem plane modo tractata eſt altera, eventu quoque eodem, niſi quod loco aquæ ſtypticæ accepta ſit aqua fontana pura, & octo vel decem unciæ ſanguinis exierint antequam ſiſteretur. Tertiæ ovi arteria diſſecta eſt non per tranſverſum, ſed per longum, impoſito pulvillo madente aquâ ſtypticâ, & detento firmiter per min. 20. Nihil ferè ſanguinis exiit. Obligatâ plagâ in pratum miſſa eſt, in quod etiam priores duæ. Omnes hæ tres rectè ſe habuerunt d. 15. Julii, quo in iis periculum factum, ut & ſeq. 16. Sed circa hujus veſperam primæ

mæ caput intumescere cœpit, crevitque tumor usque ad d. 19. mane, quando mortua est. Alteri caput similiter tumere cœpit d. 17. & d. 20. mane, illa quoque mortua est. Tertia ovis se semper bene habuit octo diebus, & tum fascia dempta est. Arteria consolidata inveniebatur, multâ carne generatâ. Vulneri impositus pulvillus ex linteo sicco & rursus fasciâ constrictum. Post d. 10. deprehendebatur vulnus planè consolidatum cicatrice inductâ.

D. XVII. Julii. Secta est in ove arteria cruralis, & eadem aqua styptica adhita: sed post triduum mortua est reperta.

Eodem die in alia ove arteria jugularis per longum est aperta, & aqua styptica adhibita sine ulla sanguinis effusione. Plaga fasciis constricta per continuos d. 8. detenta est, ut ne tangeretur quidem. Quibus elapsis inspectum vulnus est, optimeque habere se deprehensum, ut in aliis d. 10. sit prorsus consolidatum. D.

D. XVIII. Julii. Secta est arteria cruralis in ove & eodem modo ipsi medicina facta. Reperta est mortua post triduum.

Eodem d. in alia ove aperta est secundum longitudinem arteria jugularis & aqua adhibita eodem modo, ut nihil sanguinis effunderetur. Vulnus obligatum servatum est per octiduum, ut ne attingeretur quidem. Elapso eo bene se habuit, & intra X. dies prorsus convaluit.

D. XIX. Julii. Arteria jugularis per longum aperta in duobus hœdis. Adhibita est pro medicina aqua fontana, & nihil ferè sanguinis exiit. Unus mortuus est intra quinque dies. Alter perfectè curabatur d. XV. absque fasciis, quibus vulnus obligaretur.

D. XX. Julii. In ove arteria jugularis secundùm longitudinem incisa & vulnere satis longo: in alia eadem aperta angusto foramine. Priori adhibebatur pulvillus madens albumine ovi, & nihil sanguinis emisit; alteri pulvillus

madens aquâ fontanâ. Utraque penitus convaluit sine fasciarum solutione aut mundificatione vulneris.

D. XXIIX. Julii. Arteria jugularis in duobus agnis secundùm longitudinem secta. Statim pulvillus superimpositus ex gossypio imbutus aquâ fontanâ, & appressus manibus per 20. min. hor. Nihil ferè exiit sanguinis. Intra d. 18. deprehensum est vulnera perfectè consolidata sine ulla alia providentia. Non verò hi agni tantùm, sed omnes oves prædictæ, sub dio relictæ sunt dies noctesque sine ulla custodia.

D. VIII. Aug. Truncata ala dextra in duobus caponibus, in medio ossis superioris, obligatumque vulnus gossypio imbuto aquâ puteali, & evaserunt.

Similiter evaserunt 18. pulli gallinacei, in quibus omnibus truncata alarum una. Quorum sex medicina facta, applicito gossypio madente aquâ communi: sex aliis appositum gossypium siccum: sex reliquis nihil adhibitum, naturæ providentiæ relictis.

Exercitatio VIII.

AN COR PRÆTER MOTUM ALIUD AD SANGUIFICATIONEM CONFERAT?

DUbitatum semper fuit an in musculorum numerum Cor adoptari possit. Negavit *Galenus* Administr. Anatom. l. vii. §.9. musculum esse, quia omnis generis fibras habet, & musculus est instrumentum motus voluntarii, qui cordi non competit. Post eum alii admittunt musculum referre, quando diutius elixatum est, tumque non unum esse ob diversos in se motus contractos. Propius accedentes alii concedunt musculum esse sed singularem in sua specie, quemadmodum Diaphragma, quod perpetuò movetur. *Hippocratis* authoritate si standum, Cor verè est musculus. Definit enim hunc carnem in orbem circumactam. Cujus Senis Divini oraculum, firmatum experientia ulteriori, quis ausit in dubium vocare?

— *Solem quis dicere falsum*
Arguat? —

Non enim omnino in omnibus authoritates Veterum rejiciendæ ſunt, ſi rationem ipſam & cottidianam experientiam non habeant contrariam. Ut verus ſit Ille qui indigitat, quod multo plura reperiantur apud Veteres, quæ nobis probanda ſunt, quàm quæ repudianda. Cor validum muſculum vocavit *Hippocrates* non ratione nervorum, ſed carnis ſpiſſamento, *Jo. Walæus* in Anat. Reform. *Parentis*, eò inclinat, non ut muſculum appellet, ſed quod conſtringatur in motu ſicut muſculus per fibras carni intertextas, inprimis ventriculis ad inſtar muſculi temporalis in maſticatione. E muſculorum cenſu non ita prorſus exterminat *Thomas Willis*, quin analogiam quandam cum muſculis habere fateatur. Cæterum ipſius rei demonſtratione, oculiſque patente veritate, controverſia dirimi poteſt. Quippe ut rectè *J. Cæſ. Scaliger* Exer-

Exercit. 104. §. 6, ex libris colligere quæ prodiderunt authores longe esse periculosissimum: rerum ipsarum cognitio vera è rebus ipsis est. Veram enim totius cordis structuram & stupendam fibrarum musculosarum fabricam *D. Nicolaus Stenonius*, quo cive Dania gloriatur, tam dilucidè explanavit, ut omnibus nobis exempta omnis jam sit dubitatio, nec musculum verum esse negari possit. Non desunt momenta gravissima quibus sententiam suam firmat laudatus *Stenonius*. Nam eadem Cor habet quæ alii musculi, nempe arterias, venas, nervos, fibras, membranas, nec ullum aliud parenchyma. Deinde illæ ipsæ fibræ cordis hoc cum omnibus musculorum fibris commune habent, quod mediæ, seu venter musculi, carnosæ, extremis utrinque tendinosæ in ostia partim, partim in monticulos abeant, ubi & valvulas componunt, & in vasorum substantiam abeunt. Sic etiam de valvula carnosa, quam solam in

dextro cordis ventriculo solæ aves, aliis ibi destitutæ valvulis, habent, eadem ratio; quam forsan valvulam *Cæsalpinus* pro tertio avium ventriculo sumsit, cum tamen non sit nisi lamina carnea, quæ in sanguinis cursu valvularum vicem præbet. In corde etiam circa basin, fibrarum principium ac finis est secus ac *Lindano* visum. Præterea, ut in alio musculo, villorum uniformis ductus: omnes enim circa mediam ferè carnem arcus instar inflexi nullos conficiunt angulos, nisi cum tendine utrinque, & eorundem villorum in sinistro ventriculo occurrentium una atque eadem intorsionis ratio, quod ingeniose explicat *Stenonius* conum cordis elixi in stellarem figuram exponens. Enucleatis itaque Ariadneis his filis & labyrintheis fibrosis circulis, eò totius fabrica miraculosa recedit, ut fibræ, cochleæ instar, à dextris sinistrorsum ad conum descendant, & reflectantur à sinistris iterum sursum ad dextrum.

Et

Et ex hac fabrica cordis nova *Lindanus* inter alia colligit, quia cochleatim fit adductio, obiri cum minori negotio: docere enim mechanicos, ſingulare eſſe in cochlea, ut minor vis ad ejus motionem proportione requiratur, quam in ulla alia machina. De qua ad noſtrum inſtitutum haud ita ſpectante conſulendus ſubtiliſſimus *Carteſius*, in Diſſertatione non ita pridem à Clariſſimo Medico *Jo. Dan. Majore* latinitate donata. Nempe tales fibras diverſus quoque cordis motus in ſyſtole & diaſtole requirebat, ut diverſi contrariique motus perficerentur. Soluto gordio nodo in corde ſola motus diverſitas aliquid monſtri alere videtur quod nos terreat. Quippe *Galenus* & poſt eum alii contendunt muſculum eſſe inſtrumentum motus voluntarii. Ideoque muſculos cæteros ex arbitrio noſtro moveri, at Cor perpetuo ſanguinis influxu in continuo motu eſſe, nobis etiam invitis & non cogitantibus. At ſolutio

horum facilis dummodo rectæ rationis ductum sequi velimus. Dico enim musculi motum non semper ad voluntatis nostræ normam conformatum. Addo, quod omnis quidem motus voluntarius per musculum perficiatur, sed non omnis ideo musculus habet motum omnem voluntarium. Ita nec cordis motus ex arbitrio nostro dependet, nec motus peristalticus intestinorum. Sed & in reliquis musculis nostro arbitrio movendis saltem primus eorum motus non est arbitrii nostri, quandoquidem diu tentando vix tandem visum ab alio motum, nobis insolitum, imitari possumus. Itaque nec omnis motus musculorum est à voluntate nostra, nec quotiescunque volumus quemlibet musculum licet sanum & motui aptum movemus; hoc patet in discendis linguis & exercitiis corporis: illud in motibus convulsivis & motu palpebræ invitis nobis sese claudentis, quando etiam sci-

ſcimus intentari ictum ſimulatò. Certum eſt itaque quòd varios motus exſequantur muſculi, qui voluntatis imperio non moderantur, ſtimulati nempe & irritati aliis rebus advenientibus tam internè quàm externè. Pari ratione Cordis muſculus inter aſſiduum fluxum & refluxum ſanguinis in continuo motu eſt. Unde hac in parte vulgatæ definitioni muſculorum præferenda illa *Galeni* in defin. Medic. quòd muſculi ſint nervoſa corpora permiſtâ iis etiam carne, ad partium corporis motum procreati. Ubi fit mentio tantum motus, ſine determinatione aut reſtrictione, ſeu motus voluntarii ſeu involuntarii, quod optimè explicat *G. Segerus* Diſſ. de Libro Hippocratis de Corde c. 6. §. 9. Et aliquid vidit *Harvejus* Exercit. 1. de Mot. Cordis, qui Hippocratem defendit, cùm eadem utriuſque actio ſit & idem officium, videlicet ſeipſum contrahere, aliud movere, nempe contentum ſanguinem. At miror
 nuper-

nuperrimè recentiores nonnullos negare omninò cor esse musculum, quia sic in motu defatigaretur. At cum iidem ipsi confiteantur diaphragma esse musculum, non credo ipsos demonstraturos, omnem musculum in motu fatigari Cæterum an præter hunc motum Cor aliquid aliud tribuat sanguificationi, an princeps sit sanguificationis organum, consideratione ulteriori dignum judico. Mihi saltem probabile videtur, sanguificationem non in corde solo perfici, ne quidem ut in vase, multò minus ut in parte solâ sanguificante. Quippe accuratius si singula expendantur, patebit nôn absurdam fore sententiam, totum Receptaculum sanguineum tantùm pro vase esse, ut sanguis quasi sanguinem producat, & sanguificationis causa sit intestinus humorum motus. Ad horum meliorem cognitionem, ut quid de sanguine sentiendum sit constet, singula luculentiùs exponere statui.

Si per sanguinem intelligi velis quic-

quicquid intra totum continetur receptaculum ſanguineum, manifeſtum evadet, omnia & motus & ſenſus organa ita ſanguini inſervire, ut propter illum ſolum facta videri poſſint. Cum enim conſervatio ſanguinis aliâ lege non conſtet, quàm per continuam ſui conſumptionem & conſumpti reſtitutionem, fingi probabiliter poſſet, ſenſus datos ad electionem materiæ reſtitutionis & noxiorum averſionem, motus verò organa, ut vel admoveantur objecta conſervationi huic neceſſaria, vel amoveantur, prout magis vel minus huic œconomiæ inſervire poſſunt; vel denique ipſum etiam receptaculum ſanguineum verſus objecta eadem vel moveatur, vel removeatur. Qua ratione, etſi anima rationalis non eſſet, videretur tamen ille totus organorum apparatus, tàm motus quàm ſenſus, ſoli ſanguinis conſervationi neceſſarius. Propter quam animas Brutorum factas ſi alicui arrideat, ecce argumenta, quibus per omnia ſenſitiva

ſitiva & motiva organa excurrere licet, ut ad ſanguinis, à quo dependent, conſervationem ſolam facta probentur. Si exempla placent, quippe cùm eleganter Romanæ Stoæ Princeps Epiſt. VI. Longum iter eſt per præcepta breve & efficax per exempla. Incremento huic & decremento ſanguineo inſerviunt oculi ad colorem videndum & ſitum objectorum, ubi & quænam ſanguinis incremento & decremento neceſſaria eſſent, & ſimul ad prævidenda quæ his nocere quæque prodeſſe poſſent. Aures, ad audiendum motum objectorum vel vitandorum vel quærendorum. Nares, ut cùm cibus ore maſticaretur, per illas traheretur ſpiritus, & ſimul objectorum particulæ è remoto perciperentur, quemadmodum lingua vicinæ. Vox, ut ſimilia ſociarentur individua ad ſui meliorem conſervationem, tum in individuis tum in ſpecie. His ita poſitis ſanguinis tamen primi Origo incerta dici poteſt, ut & ipſius receptaculi

ſan-

ſanguinei productio. De ſanguinis autem incremento, ut quid rei ſit aperiam, Certum eſt triplicem dari materiam, unam intra teſticulum collectam, cum primi ſanguinis materia, quocunque demum modo contigerit; Alteram intra oviductum ſubminiſtratam; utraque à receptaculo ſanguineo Matris ſecernitur antequam intra receptaculum ſanguineum fœtus recipiatur. Intra oviductum collecta materia excipitur à fœtu iſta receptaculi ſanguinei portione, quæ per chorium diſperſa eſt. Tertia Incrementi ſanguinis materia fœtu jam excluſo ab aſſumptis ſecernitur. Quæ incrementa quomodo ſubminiſtrat fluidum externum diſpiciemus uberius, cùm indicaverimus per fluidum externum intelligi quicquid admovetur ſuperficiei corporis tum externæ exterius ſitæ, ut cuti, tum externæ interius retractæ, ut canali alimentorum, aſperæ arteriæ, &c. de quibus alibi loquimur. Conſtat ex indiſſolubili hujus œco-

œconomiæ lege, quod cibus, post debitam masticationem & salivæ, quæ ex glandulis oris continuò in ventriculum demergitur, humectationem resolvatur in Canalis alimentorum capaciori illa parte, quam stomachum appellant Anatomicorum filii, per humorem aliquem resolventem, quicunque demum ille sit, diversus à diversis habitus, unicuique tamen individuo appropriatus, ut abeat partim in lac, partim in inutiles fœces. Quanquam chylus viam notam venarum lactearum quærat, ante cibi tamen egressum è ventriculo & intestinis, toto illo ductu ab œsophago ad rectum intestinum aliquid ad sanguinem penetrat virium, sed nobiliorum. Ut pro loco unde propriè incipiat cibi distributio, totus ab ore ad anum ductus agnoscendus sit. Quod ipsum etiam nuper vidit *Th. Willis*, Vir inexhausti ingenii, in Pharmaceut. Rational. §. 1. c. 2. inductus multitudine vasorum, quæ circa ventriculum & inte-

inteſtina reperiuntur, quanquam de fermento, quod ab arteriis poni ſtatuit, non hic diſputabimus. Hoc tantum nos veriſimile ponemus, quanquam ordinaria via per Receptaculum & lacteum Thoracicum cordi infundatur chylus ſanguini in axillaribus miſtus, & exinde toti corpori proveniat nutrimentum; aliquid tamen ſemper ex alimentis ſubtilioribus ſanguini accedere ante cibi in ventriculo & inteſtinis abſolutam fermentationem, vel in œſophago & in ipſo ore. Non ſolùm enim experientia teſtatur vim medicamentorum, externè licet adhibitorum, ad interiora penetrare, & ſpirituoſa quævis ore recepta ſtatim per corpus diffundi, verùm etiam à Practicis non denegatur vel clyſteribus nutrientibus ſua efficacia, vel Mercurialibus ad movendam ſalivam. Ut de cibi parte ſubtiliore dubitare vix queamus. Itaque ſive per venas Lacteas & Thoracicum, ſive ſtatim ubique per vaſa ſanguinea

guinea incrementa ſanguini ſubminiſtrantur, cum ſanguine miſta in eundem non ſtatim mutantur, ſed cum eo confuſa in iiſdem vaſis latent. Ubi tandem longa circulatione & cribratione continua naturam accipere ſanguinis haud abſonum à ratione videtur. Et ſanè in venæ ſectione ſtatim poſt ſumptum cibum aliquid in ſanguine ſupernatans chyli obſervare eſt. Atque *Loweri* eſt experimentum, ſi Canis probè ſaginati poſt 4 vel 5 horas vena jugularis aut arteria carotis incidatur, & totus à corpore ſanguis effluens in vaſculis receptus refrigeretur, mox chyli lacteſcentis ingens copia à cruore coagulato ſecedit, & eidem innatans manifeſta deprehenditur; Quod ſecus in jejuno animali ſuccedet experimentum. Per plura me non diffundam dummodo pateat, ſalvis aliorum ſententiis, in corde ſolo totum ſanguificationis apparatum non abſolvi, & non minus cor, quàm alias omnes corporis noſtri ſolidas partes, elaboratorii

ratorii nomine immeritò indigitari. Nam de Cordis flammula vel igne sive innato sive adventitio nihil dicam, quandoquidem hoc manifestè percipimus in cordis thalamis sanguinem fieri vividiorem.

EXERCITATIO IX.

AN FUNDUS UTERI, VENTRICULI, &c. RECTE ANATOMICIS DICATUR?

PRæfatus veniam ad hunc fundum Anatomes devolvor, haud nescius *Galeni* non uno loco esse monitum, non admodum de verbis Medicum sollicitum esse debere, licentiamque sibi hanc sumere non Medicos tantùm, sed & aliarum artium Doctores, ut verba vel nova fingant, vel usitata ad suum sensum trahant. Hinc tot nomina Latinis auribus ignota apud Botanicos Chymicosque, & non pauca apud Prosectores leguntur, quorum arbitrium & significatio penes rerum novarum inventores, vel veterum illustratores latet. Ita Vasa Lymphatica appellavit *Parens* Venerandus vasa lymphæ dicata, à se Hafniæ inventa, quanquam *lymphatici* vocem alio sensu veteribus usitatam non ignoraverit, sicut id fusius contra *Riolanum* in De-

Defensionibus probavit. Similibus vocabulis technicis pleni sunt omnium Libri, nec cuiquam dica eapropter scribitur ab illis, qui rerum magis pondera examinant, quàm verborum quisquilias, quæ valent usu sicut nummi:

Aut famam sequere aut tibi convenientia finge
Scriptor.

Hac libertate loquendi veteres Medici Latini usi, eâdem nostri. De suppuratione testatur *Q. Marius Corradus* l. IV. de Copia Lat. Sermon. Medicis necessitate excogitatum hoc verbum, quod in Lexico Scriboniano annotat *Rhodius* noster Polyhistor. Ut de reliquis nihil dicam passim obviis. Inter alias Professoribus nostris frequenter usurpatas voces, etiam *fundus* est, quem ventriculo, vesicæ, utero assignant, quo nomine à nonnullis, nodum in scirpo quærentibus, vapulant, sed sine ratione. Certum quidem est, quod *fundum* sit ima pars vasis, &

fundus propriè ager vel possessio alia, sicut ad ravim usque inculcant Lexicographi. Cæterum notandum *fundum* posteriori terminatione masculâ ab Anatomicis recentioribus vocari imam ventriculi, uteri, vesicæque partem, ad similitudinem agri seu fundi, qui planus est & patens, recipiendo semini, sive ad speciei sive ad individui conservationem, lotiique excrementitii collectioni aptus. Promiscuè his utuntur Medici nostri. Ita Fundus uteri *Sennerto* Prax. l. IV. Par. I. §. 2. c. 16. p. 93. quem aliàs ibidem p. 91. fundum neutrâ significatione dixit. Præterea si *Tacitus* Uterum Navis ob cavitatem dixerit, quid prohibebit ita etiam fundum pro Uteri, vesicæ, &c. imâ parte masculâ terminatione nuncupari? Non sanè tam religiosi verbi hujus exactores fuere veteres, quin per translationem sumserint fundum, nostrâ terminatione, pro cujusvis negotii fundamento. Ita apud *Plautum* in Trinummo, Pater vocatur fundus

rei,

rei, apud *Ciceronem* pro Corn. Balbo, fœderati populi dicuntur fundi, apud *Festum* populus fundus, quod ex trivialibus Lexicis discere possentGrammatistæ. *Galenus* pro nobis loquitur l. III. de diff. Pulf. c. 6: Omnibus enim hominibus à propriis nominibus potestas est transferendi, à translatitiis autem alias ducendi metaphoras, non item. Quare ab humoribus, inquit, transferenti ad tactum nomen acerbum, quod ab humoribus propriè incepit, ignoscendum est. Hinc ægrè neutiquam ferent Manes veterum, si Profectores per translationem *fundum* masculâ terminatione ad imam viscerum partem applicent. Præsertim cùm fœminina vox *funda* ex eodem principio placuerit, de instrumento militari instar marsupii lapides, glandes, sagittasque continente & effundente per funditores, cujus fundæ valorem describit *Livius* lib. XXXVIII. c. 29. & *Vegetius* lib. I. de Re Mil. c. 16. quâ etiam usum Da-

videm in debellando Allophylo, auctoritate Scripturæ Sacræ scribit *Sulpitius Severus* l. 1. Hist. Sacr. Et eandem *fundæ* nomenclaturam pro voragine seu urnâ capit *Saxo* noster Grammaticus Præf. Hist. Danicæ, ob profundam & vastam capacitatem, qua homines inopinanter absorbet; quod ex *Eustathio* l. 1. & *Dionysio Afro* illustrat *Stephanius* eruditus Saxonis Commentator, p. 4. vers. 20. Medicis condonandæ etiam minus propriæ locutiones, modò contra ægros non peccent, cùm fateatur *Galenus* Comment. 6. Aphorism. nominibus se abuti nonnunquam. Certè, ut cum eodem loquar l. 1. de diff. Puls. c. 1. hæc nominum constituendorum scientia non est, sed rerum. Idcirco semper præcipit, ut nominibus contemptis ipsam naturæ scientiam exerceas, l. XIV. Meth. Med. c. 9. quod tamen cum grano salis accipiendum monet *Jo. Bapt. Sylvaticus* Contr. 3. Sed quò dilabor? In fundo ero parcus,
modò

modò fundo Anatomicorum parcant, qui hic fundum alienum arant. Mihi certe ignosci volo: nam in minimis, si quæ sint

lapsis succurrere amicis
Conveniens nostris moribus esse puta.

IN-

INDEX RERUM ET VERBORUM IN Exercitationibus occurrentium.

Ejus

Glan-

Oesy-

INDEX.

Variola

INDEX.

FINIS.

